AUTHOR:

STURM, WILHELM

TITLE:

DE FONTIBUS DEMOSTHENICAE...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1881

Master Negative #
91-80180-25

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Sturm, Wilhelm, 1859-
De fontibus Demosthenicae historiae quaestiones duae. Dissertatio inauguralis quam ... publice defendet auctor Guilelmus Sturm ... Halis Saxonum, 1881.
63 p. $22\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Halle, 1881.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA ~~IIA~~ IB IIB
DATE FILMED: 8/14/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE FONTIBUS

DEMOSTHENICAE HISTORIAE

QUAESTIONES DUAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE XVII. M. IUNII A. MDCCCLXXXI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS STURM
BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

LUDOVICUS HOLLAENDER, DR. PHIL.
MAXIMILIANUS ENGELMANN, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM
MDCCCLXXXI.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

In fontes Demosthenicae historiae, cuius cognitioni A. Schaefer celeberrimo illo libro fundamentum firmissimum stravit, inquirenti mihi duae potissimum quae accuratius tractarentur quaestiones dignae visae sunt, prior de fontibus a Diodoro in Phocaico bello l. XVI conscribendo adhibitis, altera de vitis Demosthenis earumque auctoribus, quas quamquam viri docti non sine industria atque acumine iam instituerunt, tamen plerumque a vero aberravisse mihi videntur. Quamobrem scriptores illos denuo quam accuratissime perscrutari, sententias adhuc prolatas quam cautissime expendere nunc mihi propositum est atque satis habebo, ut quaestiones illae a doctiore ad finem perducantur, pro meis viribus contulisse.

De reliquis eiusdem aetatis fontibus deo annuente alio loco agere in animo mihi est.

I. De bello Phocaico in XVI libro Diodori enarrato.

Volquardsen, qui de quinti et quarti Graecae historiae saeculorum fontibus libro illo [1]) de Diodori fontibus scripto optime meritus est, Diodorum in libro XVI componendo a more illo, quo in libris XI—XV et in Siculis rebus libri XVI illustrandis maiores singulas partes e singulis fontibus constanter fere hausisse ei visus est, in Graecorum Macedonumque rebus enarrandis discessisse contendit. Atque satis habuit vir doctissimus eas in complures divisisse partes, quae ad suos quaeque fontes redire ei videbantur. Quamquam haud parum mirandum sit, quod in Philippi regis aetate describenda Diodorus non unum auctorem secutus est, cum non deessent, qui totam illam copiosissime enarrarent, tamen Volquardseno utique assen-

[1]) Untersuchungen über die Quellen der griechischen und sikilischen Geschichten bei Diodor, Buch XI—XVI. Kiel 1868.

tiendum est, cum ne eam quidem, qua Phocaici belli expositio continetur, partem ex uno eodemque fonte sumptam esse liquido appareat. Minime enim dubium est, quin a belli narratione seiungenda sint c. 31, 6 (Dindorf) de Methone Pagasisque a Philippo expugnatis, c. 34, 3 de bello inter Lacedaemonios et Argivos exorto, c. 52, 9 de Chalcidensibus oppidis a Philippo subactis et de Peitholao Thessalo expulso, quos locos e libro annalium vel chronicorum modo composito fluxisse cll. 34, 5 et 39 vix negari potest. Neque minore iure alii auctori assignantur c. 34 (priore tertii paragraphi parte excepta), 53—55, ab eodem[1]) haud dubie petita, cui c. 14, 1—2 debetur, in quo Phocaici belli nulla ratione habita eadem brevissime perstringuntur, quae in cpp. 35, 37, 3, 38, 1 plenius exponuntur. Sed ne his quidem locis deductis eam libri XVI partem, quae Phocaici belli narrationem continet, ad unum auctorem redire mihi quoque cum omnibus qui in hac quaestione tractanda versati sunt, certissime constat.

Atque A. Schaefero[2]) auctore Volquardsen[3]) inde, quod initium belli bis (sub duobus annis) simili modo a Diodoro expositum est (cpp. 23—27; 28—30) duos deinceps auctores a Diodoro adhibitos esse statuit, quorum priori c. 23—27, alteri reliquam tribuit partem. Quam distributionem Roesigero[4]) et Roesslero[5]) probavit, non probavit Haakio[6]), qui Diodorum inde a c. 56 ad eum, e quo c. 23—27 hauserat, fontem rediisse pro certo habuit, Packio[7]), cui Diodorus duorum auctorum relationes ita commiscuisse visus est, ut cpp. 23—27, 35, 36, 1, 37 ex alia repeteret, ex alia 28—30, 31, 1—6, 32,

---

[1]) Quem auctorem non ante Alexandri Magni aetatem mortuum esse, verba 14, 2 *διόπερ ἐν ταῖς μετὰ ταῦτα πράξεσιν ἀεὶ συναγωνιστὰς ἔσχεν οὐ μόνον αὐτὸς, ἀλλὰ καὶ ὁ υἱὸς ᾿Αλέξανδρος* apertissime docent. Bornemannum, de Castoris chronicis Diodori Siculi fonte ac norma Lueb. 1878, de cap. 34, 3—5 non caute (p. 18) statuisse, Volquardsen, Jahresb. XIX p. 121, recte iudicavit, sed ne de capite 14 quidem prudenter eum egisse (p. 13) mihi pro certo est.

[2]) Demosthenes und seine Zeit. I p. 448.

[3]) l. c. p. 110.

[4]) De Duride Samio Diodori Plutarchi auctore. Diss. inaug. Gotting. 1874.

[5]) De Duride Diodori Hieronymo Duridis in rebus a successoribus Alexandri M. gestis auctore. Diss. inaug. Gotting. 1876. p. 49, 50.

[6]) De Duride Samio. Diss. inaug. Bonn. 1874. p. 50—53.

[7]) Ueber die Darstellung des heiligen Krieges im 16. Buch des Diodor. Herm. XI p. 179—201.

33, 38—40, 1—2; 56—64. Cum me neque Volquardsen neque Pack ad suas partes perduxerint, necessarium erit, ad eam quae mihi quidem sola recta visa est, sententiam comprobandam multa iam prolata denuo proferre.

Miro quodam casu Diodorus sub annis ol. 106, 2 et ol. 106, 3 belli sacri primordia bis exponit; non unum eundemque auctorem alio loco alio modo exscriptum esse, sed e diversis fontibus cpp. 23—27, 28—30 fluxisse accuratius ea comparanti facile apparet. Primum enim, ut c. 28 ordinem sequar, de templo Delphico a Philomelo expugnato c. 28 nihil memoratur, sed e verbis *τῶν μὲν ἱερῶν ἀναθημάτων ἀπείχετο κτλ* satis perspicuum est, ex huius auctoris sententia Philomelum templo occupato tum demum e mercenariis et Phocensium electis magnum exercitum sibi comparavisse, id quod c. 24 priusquam templum occuparetur factum esse cum summa probabilitate diserte affirmatur. Neque minus discrepantia ea dilucida est, quod c. 28, 2 Philomelus opulentis Delphorum ad stipendia militum expendenda magnas pecunias extorsisse dicitur, cum c. 24 neque tale quid narretur et Philomelum ab Archidamo rege pecunia adiutum esse, ipsum de suo non minus contulisse doceamur[1]). Deinde pugna cum Locris commissa c. 28 multo copiosius quam c. 24 narrata alium alio in loco auctorem indicat. Magnum porro discrimen id est, quod c. 28 Boeoti, a Locris auxilium rogati, primum Amphictyonum consilium convocasse, deinde sacro bello decreto magno exercitu in sacrilegorum fines incursionem parasse (c. 30 init.) narrantur, cum c. 25, 1 ordine omnino perverso Boeoti contione convocata (*συνελθόντες εἰς ἐκκλησίαν*), ipsi per se oraculo auxilium ferre constituisse, statim exercitum emisisse dicantur, iidem quos cum Locris — a Locris Boeotos advocatos esse auctor c. 25 ne uno quidem verbo commemoraverat — aliisque pro deo bellum suscepisse c. 27, 5 — convenienter cum c. 28, 4 — diserte exponitur: ***Βοιωτοὶ δὲ καὶ Λοκροὶ καί τινες ἕτεροι τἀναντία τούτοις ἐψηφίσαντο, καὶ τὸν πόλεμον ὑπὲρ τοῦ θεοῦ πρὸς τοὺς Φωκεῖς ἐπανείλοντο.*** Quae discrepantia eo magis offendit, quod in reliqua c. 25 parte cum 30 collata Boeotorum nulla mentio fit. De Lacedaemoniis ab

---

[1]) Haake p. 50 Diodori capitis 24, 3 *τούς τε Θρακίδας καλουμένους — ἀνεῖλε καὶ τὰς οὐσίας αὐτῶν ἐδήμευσε* cum c. 28, 2 *τοὺς δὲ Δελφοὺς εὐδαιμονίᾳ καὶ πλούτῳ διαφέροντας ἐπράξατο πλῆθος χρημάτων ἱκανὸν εἰς τοὺς τῶν ξένων μισθοὺς* non recte comparavit.

Amphictyonibus gravissime multatis in cap. 23, 2—3; 29, 2—4 Diodorum diversos sequi auctores, singillatim demonstrare non opus est, sed nunc c. 23—27 per se diligentius perquirenda ac pervestiganda sunt.

Atque prima verba quam maxime offendunt c. 23, 1: *ἐπὶ δὲ τούτων* (ol. 106, 2) *ὁ κληθεὶς ἱερὸς πόλεμος συνέστη καὶ διέμεινεν ἔτη ἐννέα,* quae viri docti vario modo explicare studuerunt. Offendit non mediocriter, quod Phocicum bellum, quod decennale fuisse cum e reliquis veterum testimoniis tum e Diodori ipsius verbis c. 59 (*ἐπὶ δὲ τούτων* (ol. 108, 3) *ὁ Φωκικὸς πόλεμος, διαμείνας ἔτη δέκα, κατελύθη τόνδε τὸν τρόπον*) satis liquet, novem annos durasse diserte affirmatur, quam difficultatem A. Schaefer [1]) ita tollere conatus est, ut plenos tantum annos a Diodoro vel eius auctore numeratos esse statueret. Quae explicatio omnibus placuit, praeter Haakium, qui [2]) coniciendi ardore eo ductus est, ut Diodorum, cum ol. 105, 4 et 106, 1 annos Siculis rebus explesset, sacrum bellum novem annorum fuisse illo loco mentitum esse sibi persuaderet, quam opinionem accuratius refellere supersedeo. Ne ego quoque Schaeferi explicationi quamvis probabili assentiar, ipsa Diodori verba faciunt, quae simplicissimam interpretationem suppeditant. Verbis enim *ὁ ἱερὸς πόλεμος συνέστη καὶ διέμεινεν ἔτη ἐννέα* nihil aliud Diodorus significare mihi videtur, quam anno ol. 106, 2 sacrum bellum conflatum, ipsum autem per novem annos armis gestum esse. Bellum sacrum esse non poterat, nisi ab Amphictyonibus indictum erat, qua de re in fine c. 27 verbis supra citatis exponitur. Quid enim aliud verba haec sibi velint, nisi bellum ab Amphictyonibus contra sacrilegos decretum, non video [3]). Atque ita Diodori auctor rem exposuisse videtur, ut anno 355 templi occupationem et res usque ad Amphictyonum concilium gestas daret, bellum autem ipsum per novem subsequentes annos exponeret (usque ad ol. 108, 3). Diodorus nihil de bello sacro ipso sub a. 355 narratum in tonte suo invenit, id quod ipse luculentissime testatur (27, ex) *ταῦτα μὲν οὖν ἐπράχθη κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν,* quibus ea quae in initio c. 23 leguntur optime respondent: *Φιλόμηλος γὰρ ὁ Φωκεὺς, ἀνὴρ θράσει καὶ παρανομίᾳ διαφέρων, κατελάβετο μὲν τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν, ἐξέκαυσε δὲ τὸν ἱερὸν πόλεμον διὰ ταύτας τὰς αἰτίας.* Quam si interpretationem probavi, id quoque facillime intellegitur, qui factum sit, ut mira quadam levitate ac neglegentia bis eadem e diversis fontibus a Diodoro exponerentur neque ea quae ex priore fonte narrari coepta erant, ex altero continuarentur. Videtur enim Diodorus e duobus fontibus hausisse, quorum uterque sacrum bellum anno 354 armis geri coeptum esse tradidit, atque cum priore, e quo causas primordiaque belli explicaverat, ita alium commutasse, ut bellum ipsum ex hoc narrare vellet, sed parum prudenter cum rebus in c. 30 expositis maximam partem earum quas iam e priore fonte transtulerat, iterum exscriberet. Qua in re morem suum observavit, ut archontum consulumque rationibus aequatis res in alteris annorum partibus gestas prioribus tribueret [1]). Hac explicatione efficitur, Diodorum neque a reliquorum testimoniis de tempore quod sacrum bellum duravit, abhorrere neque sibi ipsi (c. 59, 1) repugnare; nam numerum illum decem annorum non ita intellegendum esse, ut per decem annos bellum gestum esse existimetur, in propatulo est; nihil aliud significat, quam inde a templi occupatione ad finem belli decem olympiadum annos fluxisse, ol. 106, 2—108, 3. Diodorus alio loco accuratius alio minus subtiliter idem cum reliquis scriptoribus testatur.

Sic de c. 23 initio iudicandum mihi videtur, in quo ut denuo haeream, Pack [2]) facit. Auctoris enim eius, cui maximam Diodoreae belli narrationis partem vindicandam statuit, ut summa erga deos pietate atque superstitione impleti Phocaici belli ut sacri significatio propria fuisse ei visa est, quae opinio quam falsa sit, inde elucet, quod non solum in capitis nostri initio *ὁ ἱερὸς πόλεμος, τὸν ἱερὸν πόλεμον* leguntur, quibus c. 24, 5 *ὁ ὑπὲρ τοῦ θεοῦ πόλεμος* optime convenit, sed etiam — atque hoc gravissimum est — c. 59 exiguo spatio intermisso duae illae significationes iuxta inveniuntur, in § 1 *ὁ Φωκικός πόλεμος,* in § 4 *ὁ ἱερὸς πόλεμος.* Neque Pausanias 10, 3, 1; 9, 6, 4 vel Strabo p. 420 aliud nos docent, quam idem bellum et Phocicum et sacrum appellatum esse; minime id enucleare licet, bellum ab aliis Phocaicum ab aliis sacrum nuncupatum esse. Sed

---

[1]) I, p. 449.
[2]) l. c. p. 52.
[3]) Aliter A. Schaefer. I, 450.

[1]) Bornemanno auctore l. c. p. 5 Diodorus consuetudinem illam e chronico suo (Castore) transtulit.
[2]) p. 184, not. 3.

aliud inter Diodori auctores discrimen extat maximi ponderis, quod coniecturis omni auctoritate carentibus e medio tollere minime licet. Atque hoc discrimen ad fontes a Diodoro adhibitos eruendos ac recte aestimandos gravissimum argumentum esse mihi videtur.

Legimus enim c. 25, dum Boeoti Delphis auxiliari parant, Philomelum templum muro circumdedisse, stipendiis dimidio auctis multos mercenarios coegisse. Haud dubie eandem rem alter Diodori auctor (c. 30) commemoraverat, sed additamento summae auctoritatis amplificatam. Addit enim Diodorus: *προσδεομένου δὲ τοῦ πολέμου χρημάτων πλειόνων, ἠναγκάζετο τοῖς ἱεροῖς ἀναθήμασιν ἐπιβαλεῖν τὰς χεῖρας καὶ συλᾶν τὸ μαντεῖον.* Quae discrepantia tanta est, quanta e nulla alia re nisi e relationibus prorsus contrariis a Diodoro e duobus illis fontibus petitis explicari potest. Est enim discrepantia; nam priorem auctorem in eadem re narranda (c. 25) nihil de templo a Philomelo direpto exposuisse, Diodori verba subsequentia docent; eiusmodi enim c. 27, 3 *οὐ τοῖς ἱεροῖς χρήμασιν ἐπιβουλεύων* et § 4 *τῶν δὲ χρημάτων τὸν λόγον ἔφη πᾶσιν τοῖς Ἕλλησιν ἀποδώσειν καὶ τόν τε σταθμὸν καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἀναθημάτων ἕτοιμος εἶναι παραδιδόναι τοῖς βουλομένοις ἐξετάζειν* omnino nos suspicari vetant, auctorem Diodori simile quid atque in c. 30 est, paulo ante narravisse. Vix timeo, ne quis verbis 29,2 *ἀτάφους ῥίπτεσθαι τοὺς ἱεροσύλους* aliquid momenti tribuat. At dixerit quispiam: „Diodori levitati omissio illa tribuenda est neque ex silentio argumentum petere licet!“ Ego numquam ut Diodoro tantam levitatem imputem, a me impetrare possum, tantam ut rem tam gravem, Delphici templi spoliationem, praetermisisse eum credam.

De priore igitur narratione vix dubitari potest: de templi spoliatione auctor ille nihil dixerat, sed alter de sacrilegio Phocensium atque imprimis Philomeli uberius disseruerat neque nisi certissima argumenta proferuntur, quin Diodorus fontis sui relationem in c. 30 rectissime reddiderit, dubitare licet. Ad hanc meam, quae Haakio excepto qui[1]) primus atque solus quanti momenti ad Diodori fontes diiudicandas discrepantia illa sit, recte cognovit, ab omnium, qui huic quaestioni curam impenderunt, opinionibus prorsus abhorret, sententiam defendendam iam nunc reliqua Diodorea capita inspiciamus necesse est.

---

[1]) p. 50.

Controversia enim est, quae inter c. 56, 5 verba quibus quali ratione Phocensium duces sacrilegii participes fuerint, paucis summatim comprehenditur, et eos locos, quibus de singulis iis in continua belli narratione exponitur ratio intercedat. Offendit enim quam maxime, quod de Philomelo duce eodem, quem sacra dona spoliasse in c. 30, 1 diserte indicari modo vidimus, in c. 56, 5 non minus diserte contrarium ipsum affirmatur: *τῶν δὲ προγεγενημένων στρατηγῶν ὁ μὲν πρῶτος ἄρξας Φιλόμηλος ἀπέσχετο τῶν ἀναθημάτων.* A. Schaefer[1]) ita se expedivit, ut illa c. 30, 1 relatione omnino repudiata, c. 56 narratione ut sola vera adoptata Polyaeno auctore V, 46 (*τοῖς ἱεροῖς χρήμασιν ἀνέδην ἀποχρώμενος*) Philomelum nihil aliud quam versuram a templo Delphico fecisse, spoliatione prorsus abstinuisse statueret[2]), quam explicationem Haakio excepto omnibus probavisse videtur, probavit certe Volquardseno, qui nuperrime eam defendit[3]), Curtio[4]), Packio[5]), qui primus causam aliquam addidit: ex confusione vel errore Diodori verba illa c. 30, 1 profecta esse opinatus est! Ut via ac ratione in hac controversia disceptanda utamur, duos illos locos sibi contrarios singulos per se sine ulla praesumpta opinione quam accuratissime perquiramus, id quod multo rectius mihi videtur, quam aliam relationem ut falsam reiicere, aliam ex alieno scriptore, de cuius fonte nihil exploratum est, interpretari, discrepantias apertissimas infirmis coniecturis tollere conari.

Maximos in Schaeferi sententiam scrupulos semper in me moverunt Diodorea verba c. 28, 2 *τοῦ δὲ πολέμου προσδεομένου χρημάτων, τῶν μὲν ἱερῶν ἀναθημάτων ἀπείχετο, τοὺς δὲ Δελφοὺς εὐδαιμονίᾳ καὶ πλούτῳ διαφέροντας ἐπράξατο πλῆθος χρημάτων ἱκανὸν εἰς τοὺς τῶν ξένων μισθούς.* Quamobrem Philomelus, si a templi thesauro pecunias mutuari ei licuit, a locupletibus Delphorum militum stipendia exegit? Quamobrem summum Delphorum odium sibi excitavit, cum via minime insolita pecunias comparare ei liceret? Sane mirum est quod *ἀναθήματα* et *χρήματα* tam diserte sibi opponuntur; Philomelus nihil de pecuniis sacris cogitavisse videtur!

---

[1]) I, p. 453, not. 1.

[2]) cf. contra Iust. VIII, 1 auro et pecunia divites etc. Paus. 10, 8, 3; Theopompi frag. 182.

[3]) Jahresber. VII, p. 401.

[4]) Gr. hist., III [3] p. 789, not. 16.

[5]) p. 182.

Atque prorsus eodem modo in c. 30 init. *χρήματα* et *ἀναθήματα* opposita sunt: *προσδεομένου δὲ τοῦ πολέμου χρημάτων πλειόνων, ἠναγκάζετο τοῖς ἱεροῖς ἀναθήμασιν ἐπιβαλεῖν τὰς χεῖρας*, quae illis (c. 28, 2) optime respondent: „Philomelus qui antea *ἀναθήμασι* religiosissime abstinuerat, bello ab Amphictyonibus indicto atque summo periculo imminente, extrema necessitate coactus *ἀναθήματα* sacra spoliat“. Nihil de pecuniis sacris affertur: aut nullae in thesauro praesto erant, aut si erant, a Philomelo intactae relictae sunt. Tertium cogitari nequit! At Pack errorem vel confusionem Diodori subesse iudicavit! Qualis autem error statuendus sit, non aperuit neque ulla coniectura assequi possum. Quin enim ex auctoris illius sententia Philomelus aliquo modo templum spoliaverit — utrum *ἀναθήματα* an *χρήματα* nunc mittamus — nihil dubitandum est: Diodori verba apertissime testantur, c. 30 § 1 *συλᾶν τὸ μαντεῖον*, § 2 *οἱ δὲ πονηρότατοι καὶ θεῶν διὰ τὴν πλεονεξίαν καταφρονοῦντες προθύμως συνέτρεχον πρὸς τὸν Φιλόμηλον καὶ ταχὺ δύναμις ἰσχυρὰ συνέστη τῶν πρὸς τὴν ἱεροσυλίαν ὁρμωμένων.* § 3 *ὁ δὲ Φ. διὰ τὸ μέγεθος τῆς εὐπορίας ταχὺ δύναμιν ἀξιόχρεων κατεσκευάσατο.* § 32 § 1 *νομίσαντες τὸν αἰτιώτατον τῆς ἱεροσυλίας Φιλόμηλον κτλ.* At cogitaverit quispiam, Diodorum *ἀναθήματα* et *χρήματα* c. 28 et c. 30 commutavisse; sed ne hanc quidem explicationem stare posse nemo non videt; primum enim duobus in locis Diodorum eodem modo erravisse parum probabile est, deinde quo modo explicatione illa probata c. 56, 5 verba interpretari liceret, vix quisquam dicere posset. Alium Diodori errorem cogitare nequeo, sed subsistamus in errore quodam Diodori investigando, quoniam ne Pack quidem quidquam certi de eo explorasse videtur.

Quodsi verba c. 30, 1 ipsa Diodorum auctoris sui narrationem rectissime transtulisse arguunt, quae alia coniectura probabilior est, quam c. 56, 5 e fonte haustum esse, qui quod prior ille affirmavit, Philomelum *ἀναθήματα* spoliasse diserte negavit? Sed ne Schaeferi et reliquorum partes sequar, qui ut c. 56 et 30 eidem auctori vindicarent, summa ope enixi sunt, argumenta e verbis c. 56, 5 ipsis petita satis dilucida me adducunt. Primum enim Diodori verbis *ἀπέσχετο τῶν ἀναθημάτων* Philomelum pecuniis sacris large usum esse significari mihi quidem incredibile est. Deinde si quidem auctor Diodori, ut hoc argumentum iam nunc proferam, summo Phocensium odio inflammatus erat, ut Volquardseno et Packio videtur, quid eius interfuit, Philomelum tam diserte sacrilegii crimine purgari? Talis auctor haud dubie Philomelum, etiamsi pecunias mutuatus esset, non spoliasset, in *ἱεροσύλων* numero protulisset. At spoliavit Philomelus templum ex eiusdem, ut illis[1]) viris videtur, auctoris sententia (c. 32, 1)! Omnis vero dubitatio de duobus auctoribus a Diodoro, alio in c. 28—30, alio in c. 56, 5, adhibitis reliquam c. 56 partem inquirenti radicitus excutitur. Pergit enim Diodorus in sacrilegiis Phocensium enumerandis atque de Onomarcho, quem fratrem Philomeli falso appellat, haec affert: *ὁ δὲ δεύτερος, προσαγορευόμενος μὲν Ὀνόμαρχος, ἀδελφὸς δ' ὢν Φιλομήλου, πλεῖστα τῶν τοῦ θεοῦ χρημάτων κατεδαπάνησε*[2]). De eodem Onomarcho in perpetua belli narratione haec leguntur: c. 33, 2 *ἐκ μὲν τοῦ χαλκοῦ καὶ σιδήρου κατεσκεύασεν ὅπλων πλῆθος, ἐκ δὲ τοῦ ἀργυρίου καὶ χρυσίου νόμισμα κόψας ταῖς τε συμμαχούσαις πόλεσιν διεδίδου κτλ.* Quos duos locos quomodo Volquardsen et Pack eidem auctori tribuere potuerint, non assequor; tam contrarii sibi sunt, ut plura verba de iis facere iam non opus sit, nam de eodem Onomarcho eundem auctorem alio loco aliud iudicasse, quis sibi persuadeat? De Phayllo, Onomarchi fratre, haec in c. 56 extant: *τρίτος δὲ Φάυλλος ὁ ἀδελφὸς Ὀνομάρχου στρατηγήσας οὐκ ὀλίγα τῶν ἀναθημάτων κατέκοψεν εἰς τὰς τῶν ξένων μισθοφοράς*, quibus non aliena sunt quae de eodem et c. 36, 1 et c. 37, 2 dicuntur: *καὶ νόμισμα ἔκοψε χρυσοῦν τε καὶ ἀργυροῦν*; 37, 2 *ἔχων γὰρ χρημάτων πλῆθος ἀνέκλειπτον — τῇ γὰρ ἀφθονίᾳ τῶν χρημάτων ἀνέδην χρώμενος*, quae duo capita diversis fontibus cum Packio assignandi nullam esse probabilem causam infra videbimus. Sed nihilo minus originem a cap. 56, 5 diversam ea traxisse statim apparebit. Quae enim c. 56, 5 de Phayllo subsequuntur, ad totam hanc quaestionem solvendam firmissimum praebent fundamentum, quod miro casu ab

[1]) Dubium iam non est, quin viri docti verbis *τῶν μὲν ἱερῶν ἀναθημάτων ἀπείχετο* non recte intellectis in errorem ducti sint. Quid autem Diodorus sibi voluerit, sequentia aperte docent. Postquam enim Phalaecum pecunias sacras quibus administrandis Philomelus magistratum quendam praefecerat, suum in usum avertisse narravit, qua ratione reliqui Phocensium duces Apollinis bonis usi sint summatim exponit atque Philomelum, quem ex Diodori auctoris sententia pecunias sacras non attigisse mihi certum est, *ἀναθήμασιν* abstinuisse diserte affert.

[2]) *χρήματα* nihil nisi pecunias esse planum est, cf. 23, 3, 4; 24, 2; 27, 3, 4; 28, 2; 30, 1; 37, 2.

omnibus adhuc, quoad sciam, omnino neglectum est. Diodorus enim *ἀναθήματα* aurea a Phayllo percussa quo proprio pondere quoque pretio ad argenti rationem fuerint plenius exponit. Atque pondus eorum 282 talentum fuisse hac ratione efficitur:

120 *πλίνθοι διτάλαντοι*	240 tal.
360 *φιάλαι διμναῖοι*	12 »
leo aureus et femina: *τριάκοντα ταλάντων χρυσοῦ σταθμὸν ἀγόντων τῶν πάντων*	30 »
	282 tal. [1])

Pretio autem quatuor milibus argenteis talentis aequantur. Deinde *ἀναθημάτων* argenteorum a ducibus, qui quidem iis usi essent — nihil aliud verba *τοὺς πάντας στρατηγοὺς* significant — consumptorum pretium plus sex milia talentum fuisse indicatur. Quodsi ad extremum argenteis aureisque *ἀναθήμασιν* computatis summa plus decem milium talentum subducitur, id sine dubio constat, e Diodori auctoris sententia neminem nisi Phayllum aurea *ἀναθήματα* percussisse. Simplicissima hac argumentatione, nisi magnopere fallor, ea capita, quorum verba illi rationi obstant, ex alio fonte fluxisse liquido apparet. Sunt autem eiusmodi cpp. 33, 36, 37, a quibus quoniam c. 30 nullo modo seiungi potest, ea quam supra de c. 30 et c. 56, 5 posui sententia optime confirmatur.

Duos igitur fontes Diodorus exscripsit, qui de gravissimis rebus vehementissime dissentiebant quorum alter Philomelum templum spoliasse negavit, alter diserte contendit (c. 30). Idem de cpp. 23—27 et 28—30 collatis statuendum supra nobis visum est; quantum colligere licet, illorum cpp. auctor nihil de Philomelo templi spoliatore narraverat. Eundem igitur fontem in cpp. 23—27 et c. 56 adhibitum esse verisimillimum est[2]). Ad hanc, quae e re ipsa facillime consequitur, coniecturam confirmandam argumenta mea quidem sententia minime neglegenda e reliqua c. 56 parte proficiscuntur. Ut enim in c. 23, 5 Philomelus ut penes Phocenses *τὴν προστασίαν* Delphici templi olim fuisse ostendat, Homeri gravissimi antiquitatis testis verbis utitur, sic etiam in c. 56, 7 Homero

[1]) Aequatione 282 tal. aur. = 4000 tal. arg. a nullo adhuc quoad sciam instituta ratio inter aurum et argentum haec sequitur 1 : 14,1844 (cf. Hultsch, Metrol. Graec. et Rom., p. 174 sq.) de qua in eiusmodi quaestionibus versati viri iudicare velint.

[2]) cf. Haake p. 50.

auctore Philon thesaurum quendam in templo defossum indicasse narratur[1]). Non solum Homero ad simillimum usum bis citato ad unum eundemque fabulis non parum faventem[2]) auctorem necessario ducimur, sed etiam colorem narratiunculae a c. 23—27 minime alienum esse in propatulo est. Eadem superstitio in utroque loco perspicue apparet.

At obstare nobis videntur gravissima argumenta, quae Volquardsen primus in medium duxit, Pack novis auxit, reliqui adoptaverunt. Quam ad rem diiudicandam eo unde profecti sumus redeundum est. Consentiunt enim Volquardsen et Pack, colore orationis prorsus diversos fontes a Diodoro exscriptos esse, atque Volquardsen[3]) statuit, cpp. 28—40, 56—64 auctorem magna *δεισιδαιμονίᾳ* impletum infestissimum Phocensibus animum spirasse, quo eodem argumento usus Pack capita singula perquisivit atque auctori illi religiosissimo cpp. 28—30, 31, 1—6, 32, 33, 38—40, 56—64 tribuenda esse pro certo habuit.

Cum neuter in hac difficili re satis caute egisse mihi videatur, singula capita denuo percurrere necesse est. Atque in prima Diodorea particula (23—27) indicia, e quibus utri parti auctor faveat, colligi possit, perpauca sunt. Ab altera enim parte *Φιλόμηλος θράσει καὶ παρανομίᾳ διαφέρων* 23,1; *ἐπειρᾶτο δὲ τὰς κρίσεις τῶν Ἀμφικτυόνων ἀδίκους δεικνύναι κατὰ τὸ δυνατὸν* § 5; *πρὸς τὴν ὑπεροχὴν τοῦ βιαζομένου* 27, 1; *καὶ τὸν πόλεμον ὑπὲρ τοῦ θεοῦ ἐπανείλοντο* Phocensibus non favere videantur, ab altera *ἀνάνδρων ὑπάρχειν* 23, 4; *διόπερ ἔφη δεῖν ἀμφισβητεῖν περὶ τῆς τοῦ μαντείου προστασίας* § 6, *τῶν δὲ Φωκέων διὰ τὸν ἐκ τῆς δίκης φόβον ἑλομένων αὐτὸν αὐτοκράτορα στρατηγὸν* (cf. Paus. 10, 2, 3) *κτλ* et nonnulla alia animum Phocensibus omnino infestum non indicant.

[1]) Strabo, qui eandem rem (p. 420) affert, pro Phalaeco Onomarchum nuncupat; idem de Philomelo, templi spoliationis auctore, nihil commemorat, quamquam e templi direptione et Phocaicum et sacrum appellatum bellum ortum esse paulo ante testatus est.

[2]) Pack, p. 181: „Die Quelle (23—27) liebte es also, auf Sagenhaftes (Homer) zurückzugehen". Ne quis verbis in c. 23, 5 et 56, 7 iisdem fere a Diodoro adhibitis temere nitatur conferantur Diodori III 56: *συμφωνεῖν δὲ τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτῶν καὶ τὸν ἐπιφανέστατον τῶν παρ' Ἕλλησι ποιητῶν ἐν οἷς παρεισάγει τὴν Ἥραν λέγουσαν κτλ*, sed Broeker, Untersuchungen über Diodor. p. 16. quod omnes Homericos locos Diodoro ipsi adiudicavit, parum caute egit.

[3]) p. 111—113.

Non aliter c. 28 res sese habet: neque *οἱ δὲ Βοιωτοὶ διά τε τὴν πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσέβειαν καὶ διὰ τὸ συμφέρειν αὐτοῖς τὰς τῶν Ἀμφικτυόνων κρίσεις βεβαίας εἶναι*, quod Haake[1]) monuit, auctoris Phocensibus alienissimi sunt, neque *βοηθεῖν τῷ θεῷ* § 3 et § 4, *διὰ τὴν πρὸς τὸν θεὸν εὐσέβειαν* § 4, *βοηθεῖν τῷ ἱερῷ* singulare vel proprium quid habent. Omnino quam maxime cavendum est, ne colori narrationis nimium tribuatur auctoritatis in Diodoro, qui tum facta nude e fontibus suis exscripsit, tum auctorum suorum iudicia cogitationesque una cum rebus transtulit. Ne in cpp. 30—33 quidem, quorum maximam partem benevolentiam erga Phocenses non spirare Volquardseno et Packio facile omnes concedent, aliusmodi voces desunt: 30, 1 *ἠναγκάζετο κτλ* (cf. supra p. 8), 31, 2 *μεθέσθαι*[2]) *τῆς ὑπερηφάνου καὶ δεινῆς τιμωρίας*. Magnopere vero Pack erravit, quod c. 33 alii fonti tribuit, alii cap. 35—37 coloris argumento illo nimis presso. Capita enim 33 et 37 artissime inter se coniuncta esse qui sententiam in utroque simillimo modo expressam intellexerit, facillime concedet: 33, 3 *πάντα δὲ ῥαδίως ἐπετέλει διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων φιλαργυρίαν κτλ* et 37, 4 *ὁ γὰρ χρυσὸς τὰς πλεονεξίας τῶν ἀνθρώπων ἐκκαλούμενος ἠνάγκασεν αὐτομολεῖν πρὸς τὴν ἐκ τοῦ κέρδους λυσιτέλειαν*. Deinde quod Onomarchus et Phayllus pecuniis large distributis socios sibi paravisse, hostes corrupisse dicuntur, optime in relationem cpp. 30 et 32 quadrat[3]), quae e fonte a cap. 23—27 diverso fluxisse Packio quoque constat.

Quae tandem *δεισιδαιμονίας* vestigia in c. 37 inveniuntur, quod auctori eidem, cui caput 30 debetur, tribuere Pack cum Volquardseno nihil dubitavit? Quae tandem in c. 39, quod non minus confidenter auctori illi religiosissimo vindicavit? Qui enim Pack[4]) eo, quod Phocenses et Thessali cum iis foederati *πολέμιοι* et *ἐναντίοι* Thebanorum eorumque sociorum appellantur, argumento uti potuerit, mihi quidem obscurum est, praesertim cum in eodem capite Lacedaemonii cum Phocensium Thessalorumque auxiliis Orneas ante *τῶν πολεμίων* adventum occupasse dicantur! Et tamen non dubito, quin cap. 30—33, 37, 39 auctor idem fuerit. Quae denique *δεισιδαιμονίας* signa in c. 40 extant, de quo non aliter Pack iudicavit,

[1]) p. 50.
[2]) Sic Cobet, Coll. crit. 1878, p. 247 pro *μεταθέσθαι*.
[3]) Volquardsen p. 111.
[4]) p. 186.

si quidem argumentum illud tantopere premere ei libuit? Neque magis probabilis causa cogitari potest, cur cap. 35, 36 non ad eundem auctorem cum 30—33, 37—40 referamus: Diodorus nulla ratione eius rei habita, utri parti auctor suus faveret, singulas res simpliciter nudeque ordine suo persecutus est. Extrema c. 35 verba *τοὺς δ᾽ἄλλους ὡς ἱεροσύλους κατεπόντισε* nullius momenti sunt. In c. 38 vero *δεισιδαιμονίας* vestigia illa tantopere pressa aperta patent: *ηὐξηκὼς ἑαυτοῦ τὴν βασιλείαν ταῖς τε πράξεσι καὶ τῇ πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβείᾳ* § 1, et § 6 *ἐπιπόνως καὶ τῆς ἀσεβείας οἰκείως κατέστρεψε τὸνβίον*[1]). Non alium colorem Diodori verba c. 56, 4 exhibent: *(Φίλων) δέ ταῖς ἐσχάταις αἰκίαις περιπεσὼν οἰκείαν τῆς ἀσεβείας ἔσχε τὴν τοῦ βίου καταστροφὴν*, quae eundem quem in cpp. 31 et 38, auctorem adhibitum esse facile alicui contra nostram sententiam supra confirmatam persuadere possint. Sed tenendum est, narratiunculam § 7, quam priori Diodoreo auctori recte vindicasse mihi videor, simillima sententia terminari: *ὁ δὲ τῆς παρανομίας ταύτης ἡγεμὼν Φίλων ὁ προειρημένος ταχὺ τῷ δαιμονίῳ τὰς προσηκούσας δίκας ἐξέτισε*, quae verba ab illo auctore minime aliena sunt, qui fabulas et Delphicorum sacerdotum traditiones non sprevit. Vix dubitari potest, quin ad eundem fontem, Delphicos vates, alia quoque nonnulla Diodoreae narrationis referenda sint, velut Onomarchi somnium in c. 38[2]).

His argumentis adductus ne priorem quidem c. 56 partem auctori cpp. 23—27 dare vereor, neque aliter de fabulis sine dubio eiusdem originis iudico, quae c. 57 et c. 58, 4—6 narrationi insertae sunt cum ea levissime consutae, imprimis c. 58, 4—6 cll. Paus. 10, 36, 3; quas diutius morari non opus est. Sed non solum fabulas illas, sed etiam c. 58—60 omnino religiosissimo illi auctori Volquardsen et Pack tribuerunt, quod quibus de causis minime mihi probaverint, capita illa caute pervestigantibus extra ullam dubitationem erit. Primum enim in c. 59, 60 ullum *δεισιδαιμονίας* vel summi in Phocenses odii vestigium extare negandum est. Quod in Amphictyonum decretis verba

[1]) Notanda sunt § 6: *τὸν Ὀνομάρχου υἱὸν τοῦ τὸν ἱερὸν πόλεμον ἐκκαύσαντος κτλ* quibuscum conferas c. 23, 1 (*Φιλόμηλος ἐξέκαυσε τὸν ἱερὸν πόλεμον*). Videtur hic auctor de Onomarcho Phocensium motus auctore copiosius disseruisse, cf. 32, 3; 31, 5. Schaefer I, p. 445.
[2]) Pack p. 187.

usurpantur *συλᾶν, ἱεροσυλία, ἡ εἰς τὸ θεῖον παρανομία, τὰ περὶ τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ μαντείου καὶ τἄλλα πάντα τὰ πρὸς εὐσέβειαν καὶ κοινὴν εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν τοῖς Ἕλλησιν ἀνήκοντα,* nihil de auctoris ipsius sententia nos docet. Nempe res ipsa eiusmodi voces suppeditavit. Quod autem Volquardsen[1]) monuit, nullam Phocensium misericordiam in clade eorum describenda perspici, in Diodoro (cf. supra p. 12) nihil valet. Neque magis e verbis 60, 4 *οὐμόνον δόξαν εὐσεβείας καὶ ἀρετῆς στρατηγικῆς περιποιησάμενος ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν μέλλουσαν αὐτῷ αὔξησιν γενέσθαι μεγάλα προπαρασκευασάμενος κτλ* de studio auctoris quid certi colligi potest. Philippi enim admiratione eum flagrasse, quis sano iudicio inde concludat? Alium haud dubie animum c. 38, 2 verba spirant: *ηὐξηκὼς ἑαυτοῦ τὴν βασιλείαν ταῖς τε πράξεσι καὶ τῇ πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβείᾳ.* Atqui auctor ille res a Philippo Phocaico bello gestas ita descripsisse Packio videtur, quasi Macedonum rex nulla alia re nisi summa deorum pietate ac religione permotus Delphico templo Apollinique auxiliatus esset. Verba c. 38 modo citata eiusmodi auctori optime conveniunt, sed quomodo c. 58, 3 cum illa sententia consentire cogitari possit, mihi quidem obscurum est. Sunt enim haec »*ὁ δὲ βασιλεὺς ἡδέως ὁρῶν τὴν ταπείνωσιν αὐτῶν, καὶ βουλόμενος τὰ Λευκτρικὰ φρονήματα συστεῖλαι τῶν Βοιωτῶν, ὀλίγους απέστειλε στρατιώτας, αὐτὸ μόνον φυλαττόμενος τὸ δοκεῖν περιορᾶν τὸ μαντεῖον σεσυλημένον.* Atque haec in eo capite leguntur, quod summam pietatem Volquardseno et Packio prae se ferre videtur! Argumentum igitur illud e colore narrationis petitum in c. 58—60 nihil proficit, sed ipsum alium auctorem atque in cpp. 28—33, 35—40 adhibitum esse apertissime demonstrat. Omnino autem opinio illa Volquardseni Packii extrema Diodorea parte refellitur.

Transeo nunc ad c. 61—64 accuratius inspicienda, in quibus *δεισιδαιμονίαν* superstitionemque quam maximam extare facillime duobus illis concedo, quorum sententia, in hac Diodori parte auctorem illum c. 28—40 — religiosissimum — apparere, argumentis mea quidem sententia gravissimis confirmatur.

Diodorus in ultima belli narrationis parte supplicia sacrilegorum illustraturum se esse ipse profitetur (61, 1); nam non solum *τοὺς αὐθέντας τῆς ἱεροσυλίας,* sed etiam omnes quibuscumque quaelibet ratio cum scelere illo fuerit, vehementissimis divinitus suppliciis perculsos esse.

[1]) p. 112.

Quodsi Philomeli Onomarchi[1]) Phaylli Phalaeci exitus ad deorum ultionem demonstrandam singuli deinceps describuntur, Philomelus haud dubie in *ἱεροσύλων* numero a Diodoro vel eius auctore ponitur. Minime vero cum Haakio[2]) verba *ὁ μὲν γὰρ ἀρχιτέκτων τῆςκαταλήψεως τοῦ ἱεροῦ* ita premi licet, ut Philomelus ex *ἱεροσύλων* societate diserte eximi putetur, sed *τοὺς προςαψαμένους τῆς ἱεροσυλίας* Lacedaemonios Athenienses, Phocensium ducum mercenarios intellegendos esse quisquis c. 61—64 sine opinione praesumpta perlegerit, facillime intelleget. Atque haec interpretatio capite 30 optime confirmatur, cuius verbis Philomelum templum spoliasse evidentissime evincitur, neque minus quae de reliquis ducibus in continua belli narratione suis locis prolata sunt, cum c. 61 plane consentiunt. Vix enim crediderim, Packii ratiocinatione perductum quemquam in § 2 offendere: (*Ὀνόμαρχος) μετὰ τῶν συμπαραταξαμένων ἐν Θετταλίᾳ Φωκέων καὶ μισθοφόρων κατακοπεὶς ἐσταυρώθη.* Verba enim c. 35, 6 *τέλος δὲ τῶν Φωκέων καὶ μισθοφόρων ἀνῃρέθησαν μὲν ὑπὲρ τοὺς ἑξακισχιλίους, ἐν οἷς ἦν καὶ αὐτὸς ὁ στρατηγὸς* omnino nos vetant, e Pausania[3]), cuius relationi X 2 Pack mirum quantum auctoritatis ad Dicdori fontes indagandos tribuit, Diodori verba sana, nulla emendatione egentia mutare (*μετὰ* in *ὑπὸ*). Quin igitur idem auctor, dequo c. 28—33, 35—40 desumpsit, iterum a Diodoro in usum vocatus sit, dubitari non potest. Sed alia tria argumenta extant, quae non solum illum auctorem in hac quoque parte usurpatum esse, sed auctorem a c. 56—60 prorsus alienum adhibitum esse satis dilucide ostendere mihi videntur. Primum enim de Phalaeci exitu inter c. 59 et 61 magna dissensio est. Legimus enim:

in c. 59, 3	in c. 61, 4
οὗτος μὲν ὑπόσπονδος εἰς τὴν Πελοπόννησον ἀπεχώρησε μετὰ τῶν μισθοφόρων κτλ.	*οὗτος γὰρ μετὰ τὴν ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας φυγὴν μετὰ τῶν μισθοφόρων τὸ μὲν πρῶτον διέτριβε περὶ τὴν Πελοπόννησον κτλ.*

Phalaecum ab uno eodemque auctore alio loco pacto cum Philippo icto in Peloponnesum migrasse, alio e captivitate fugisse dictum

[1]) Hic quoque Onomarchus Philomeli frater falso appellatur.
[2]) p. 50.
[3]) *ἐνταῦθα ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν κατηκοντίσθη τῶν οἰκείων κτλ.*

esse ut credam nullo modo adduci possum. Nam interpretatio eiusmodi, Phalaecum periculum captivitatis imminens pacto illo fugisse, vix cuiquam placeat. Duas igitur relationes de Phalaeci exitu fuisse patet. Deinde Philippus in c. 64, 3 prorsus aliter atque in c. 60 Volquardseno et Packio visus est, ut ultor Apollinis summa religione ac pietate imbutus praedicatur: *ὁ δὲ τῷ μαντείῳ βοηθήσας Φίλιππος ἀπὸ τούτων τῶν χρόνων ἀεὶ μᾶλλον αὐξόμενος τὸ τελευταῖον διὰ τὴν εἰς τὸ θεῖον εὐσέβειαν* (c. 38, 2) *ἡγεμὼν ἀπεδείχθη τῆς Ἑλλάδος πάσης.* Quod et in c. 60, 4 et 65, 4 eadem fere sententia explicatur, in Graecarum rerum statu qualis tum erat, minime offendit. Denique Diodori ipsius verba (60, 5) ex alio auctore cpp. 56—60, ex alio 61—64 petita esse docere mihi videntur; verbis enim *ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων τὰ κατὰ μέρος ἐν τοῖς οἰκείοις χρ΄νοις ἀναγράψομεν, νῦν δ'ἐπὶ τὸ συνεχὲς τῆς ἱστορίας τρεψόμεθα·* nihil aliud Diodorus pronuntiat, quam Phocaico bello ad finem narrato nunc ad alias res illustrandas sese transiturum esse; illis enim verbis *περὶ μὲν τούτων κτλ* ita uti solet, ut — quod ex iis ipsis sequitur — aut ad ea quae brevissime modo adumbraverat in ordine rerum accuratius exponenda cf. XV 39, 3; XVI 1, 5; 5, 4; 65, 9; XVII 6, 3 aut ad omnino nova afferenda transitum sibi paret. Atque id ei propositum fuisse videtur, ut quoniam e fonte suo sacrum bellum usque ad finem perduxit, Siculis rebus narrandis curam impenderet, sed casu quodam eo, quem inde a c. 56 reliquerat, fonte iterum inspecto cpp. 61—64 appendicis loco addidit. Hac quoque parte absoluta, tum demum ad Siculas res enarrandas se vertit, iterum sacro bello valere dicens his verbis: *ἡμεῖς δὲ ἀρκούντως διαληλυθότες τὸν ἱερὸν πόλεμον ἐπάνιμεν ἐπὶ τὰς ἑτερογενεῖς πράξεις* quae Pack inconsideratissime pressit.

Haec sunt, quae e Diodori ipsius verbis de auctoribus in usum vocatis apparere mihi videntur. Mira quadam socordia duos in pluribus iisque gravissimis rebus non leviter dissentientes fontes ita adhibuit, ut quatuor narrationis suae partium (23—27; 28—40; 56—60; 61—64) primam et tertiam de priore, secundam et quartam de altero depromeret. Quod is, qui nullo spatio interposito primordia belli e duobus diversis fontibus bis deinceps enarrare non veritus est, cum inde a c. 56 priori auctori se adiunxisset in c. 60 ad alterum rediit, minime offendit.

Restat nunc, ut quos auctores Diodorus in usum vocaverit,

quantum fieri potest, eruere studeamus. Sed in eiusmodi quaestionibus quam maxima opus esse cautione in propatulo est, quae tamen a multis eorum, qui in fontes historicorum veterum inquisiverunt, praetermissa est. Scriptores quam diligentissime pervestigasse, quales fontes usurpati esse videantur, demonstrasse eorumque fidem diiudicasse plerisque operae non pretium est, sed utique necessarium videtur, eas quas excusserunt relationes certis quibusdam scriptoribus vindicare, atque plerumque iis, e quorum copiosis scriptis perpaucae reliquiae aetatem tulerunt. Qua in re multi non considerant, quantum fragmentorum fides ab excerptorum cura diligentiaque pendeat quamque parum persaepe e fragmentis ad scriptorum cogitandi vel scribendi rationem intellegendam lucremur, si res aliter exponi non potuerunt atque expositae sunt. Quae sobria iudicandi ratio in iis, quae de auctoribus a Diodoro in Phocaico bello conscribendo adhibitis pronuntiatae sunt, sententiis non parum desiderari mihi videtur, quas nunc quam candidissime recensere, singula argumenta quam accuratissime expendere in animo mihi est.

De auctoribus Diodori vel de altero religioso auctore duas[1]) in partes viri docti sententias protulerunt. Volquardsen[2]), prioris antesignanus, e narratiuncula de Thrasio stipendiario (c. 78), quam cum reliquis fere omnibus ad Timoleontis historiam pertinentibus e Timaei historiis haustam esse pro certo habuit, cpp. 61—64 colori consimillima Diodori in cpp. 28—40, 56—64 conscribendis auctorem Timaeum fuisse magis coniecit quam contendit[3]). Quam sententiam Roessler[4]) non solum probavit sed etiam novis argumentis confirmare animum induxit. Contra Packio cpp. 28—30; 31, 1—6; 32; 33; 38—40; 56—64 Demophilo, quem bellum sacrum ab Ephoro patre relictum composuisse Diodorus ipse nos docet (c. 14, 3), restituenda visa sunt. Nihil aliud agere nunc opus est quam ut Demophili vestigia, quae Packio apud Diodorum patere visa sunt, singula accurate perpendamus. Qua in re ne acta agere videar non timeo, etsi iam Roessler et Volquardsen[5]) nonnulla non parvi momenti argumenta Packii sententiae opposuerunt. Roesigerum, quamquam

---

[1]) De Haakii vagis coniecturis silere mihi liceat.
[2]) p. 113.
[3]) cf. Jahresber. VII, 403.
[4]) l. c. p. 49, 50.
[5]) Jahresber. p. 402.

de fontibus Diodori certam quandam sententiam non professus est, tamen extremo hoc loco commemorare non omitto, quod iam ante Packium Haakii levissima coniectura refutata in Diodori c. 64 Demophili vestigia agnovisse sibi visus est. Has igitur sententias singulas inquirere nunc mihi propositum est atque si licet a Packii dissertatione non sine acumine scripta ordiamur.

De Demophilo Diodorus in c. 14, 3 e fonte illo, cui non solum archontum olympionicarum regum nomina et multa quam brevissime adumbrata facta sed etiam omnia de illustribus viris a Diodoro adnotata deberi Volquardseno[1]) auctore Bornemanno[2]) exploratum est, nonnulla quae maxima cura respiciantur digna nobis tradidit quae quin ad auctorem quendam, qui eorum de quibus attulit scriptorum libros *πιναχογράφων* modo ipse inspexit, referenda sint dubitari nequit[3]). Atque primum quidem Demophilo auctore Delphicum templum a. Ol. 105, 4 a Philomelo occupatum et spoliatum esse, deinde bellum sacrum usque ad interitum sacrilegorum per undecim annos pertinuisse disertis docemur. Quem singularem numerum a reliquorum testimoniis verbis valde alienum vv. dd. varie explicaverunt, sed neque A. Schaeferi[4]) neque Packii explicationes ullam probabilitatis speciem habere mihi videntur. Verba enim Diodori aliam interpretationem statuere omnino nos vetant, quam a. Ol. 105, 4 Delphicum templum a Philomelo occupatum esse, quod omnium eiusmodi notitiarum, quae apud Diodorum extant, simillima forma apertissime docet[5]): Demophilus haud dubie bellum per undecim olympiadum annos narravit 357/6—347/6. Aliam rationem Diodorus ipse sequitur, qui in c. 59, 1 (a. Ol. 108, 3) bellum decimo anno finitum esse testatur, aliam Pausanias X, 2, 3, qui decimo post templi occupationem, quam cum Demophilo a. 357/6 tribuit, anno Theophilo archonte (108, 1) bellum compositum esse diserte indicat. Deinde artificium illud, quo Pack e Diodori verbis (c. 64 ex) undecim illos annos enucleare conatus est, omni probabilitate caret. Quis enim e verbis supra iam citatis: *ἡμεῖς δὲ ἀρκούντως διαληλυθότες τὸν ἱερὸν πόλεμον κτλ* e Diodori

[1]) p. 5—13.

[2]) l. l. p. 28.

[3]) Volquardsen eam, quam de Apollodoro chronici illius scriptore olim protulerat sententiam Dielsio (Rh. Mus. XXXI p. 31) et Bornemanno auctoribus ipse abiecit (Jahresb. XIX p. 121 sq.).

[4]) I p. 451.

[5]) Volquardsen, Untersuch. p. 8.

vel auctoris eius sententia sacrum bellum sacrilegorum interitu demum (Archidami? cf. c. 88, 4) finitum esse colligere audeat? Neque magis probabile est, ab auctore *πίναχος* illius in reliquis diligentissimi, cum bellum ipsum usque ad cladem Phocensium per decem annos a Demophilo narratum invenisset, *τὴν φθορὰν τῶν διανειμαμένων τὰ ἱερὰ χρήματα* undecimo anno attributam esse. Sed non solum tempus, quo bellum Demophilo auctore coeptum, quo finitum sit, Diodori verbis docemur, sed etiam aliud quid adhuc a viris doctis, ut videtur, omnino neglectum: Legimus enim, Demophilum sub anno 105, 4 non solum templi occupationem sed etiam spoliationem narravisse[1]), quod verbum nisi Pack praetermisisset numquam ad coniecturas sibi ipsis repugnantes confugisset. Fragmenti enim illius ab Athenaeo VI p. 232 d ex Ephori libro tricesimo excerpti[2]) (Müller fr. h. gr. 155) verba ita interpretari nullo modo licet, ut cum notitia illa de Demophilo a Diodoro tradita (14, 3) et cum Diodori ipsius narratione consentire videantur. Primum enim, si Onomarchus Phayllus Phalaecus omnia et *ἀναθήματα* et *χρήματα* e templo abstulisse dicerentur, Philomelus igitur neque pecunias neque dona sacra spoliasse significaretur[3]), et c. 14, 3, quod gravissimum est, et c. 30 (61) verba obloquerentur. Deinde si *τὰ ἅπαντα* ita percipiuntur, ut *ἀναθήματα* subaudiantur — quae interpretatio sola recta mihi videtur; primum enim quae subsequuntur verba de alia re atque *ἀναθήμασιν* cogitare nos vetant: nihil aliud Demophilus dixit „non solum Onomarchus, Phayllus, Phalaecus omnia *ἀναθήματα* abstulerunt, sed etiam coniuges eorum sacra dona attigerunt", deinde hac sola interpretatione efficitur, ut aliquo modo fragmenti verba cum Diodori (14, 3) notitia congruant. Itaque Demophilo auctore Philomelus *τὰ ἱερὰ χρήματα* spoliasse videtur[4]).

[1]) Volquardsen p. 7 in Diodori verborum conversione unum hoc verbum „*συλήσεως*" praetermisit, Pack Diodori verba rectissime in contextum recepit, sed *συλήσεως* verbi nullam habuit rationem.

In eodem Diodori loco affertur, Callisthenem Hellenica sua ad templi occupationem et spoliationem perduxisse — nam aliud *ἡ παρανομία* non significat cll. 61, 1 —, Diyllum a templi spoliatione profectum esse.

2) *Ὀνόμαρχος καὶ Φάυλλος καὶ Φάλαικος οὐ μόνον ἅπαντα τὰ τοῦ θεοῦ ἐξεκόμισαν, ἀλλὰ τὸ τελευταῖον αἱ γυναῖκες αὐτῶν κτλ.*

[3]) Pack p. 196 „Philomelus wird also ausdrücklich vom Tempelraube ausgenommen, entsprechend c. 56"!

[4]) Polyaen. V, 46: *τοῖς ἱεροῖς χρήμασιν ἀνέδην ἀποχρώμενος.*

— non solum c. 30, 1 verba repugnant, sed etiam Schaeferi illa a Packio adoptata interpretatio (supra p. 7).

Minime vero in animo mihi est illam a me positam Demophili veram fuisse sententiam pro certo statuere, sed in tam paucis reliquiis quid aliud relinquitur, quam ut quantum fieri potest dispersas res coniungamus, unam relationem componere studeamus? Qua in re numquam obliviscendum est Demophili verba non in ipsius narrationis contextu extare, sed ab Athenaeo excerpta, qui quanta cum fide ea desumpserit sciri non potest; ne id quidem constat, verba Demophili utrum *αὐτολεξεὶ* an summatim reddita sint, quamquam Packio exploratum est verba non *κατὰ λέξιν* nobis servata esse. Quae si omnia considerabimus similitudini, quae inter Demophilea verba et Diodoream narrationem (c. 64, 2) intercedit de uxoribus Phocensium ducum, cum Volquardseno[1]) non tantum ponderis tribuemus quantum Pack et Roesiger tribuerunt[2]).

De alio Demophileo fragmento (Schol. Ven. Il. XIII, 301)[3]), quod item Pack in usum vocavit, diutius disputare non opus est. At *δεισιδαιμονίαν* ac pietatem magnam Demophili propriam fuisse, Pack statuit! Sed argumenta quae protulit nulla sunt; neque verba supra tractata (14, 3 *ἕως τῆς φθορᾶς τῶν διανειμαμένων τὰ ἱερὰ χρήματα*[4])) vel belli ut sacri appellatio de colore vel omnino de scribendi eius genere quid indicant neque inde quod opus a patre relictum supplevit, sublimi pietate eum fuisse colligi potest[5]).

Sed Pack Demophili vestigia apud Diodorum aperuisse, magnam Diodoreae belli narrationis partem Demophilo adiudicasse non satis habuit, sed etiam Pausaniae X, 2 brevissimam Phocaici belli expositionem maximam partem ad Demophilum redire sibi persuasit. Qua in lubrica via eum sequi non opus est, perpauca ad coniecturam illam refutandam satis erunt. Pausaniam, qui quantum ab aliis audiverit, quantum

---

[1]) p. 113.

[2]) Diodori verba Demophilum propius accedere quam Phylarchum (fr. 60) planum est. Ceterum Phylarchi verba Theopompi vestigia premere videntur. (Theop. fr. 182.)

[3]) Müller fr. h. gr. II, 86.

[4]) *χρήματα* hoc loco in universum Apollinis *κτήματα* significare nemo non videt.

[5]) Roessler p. 49. Volquardsen, Jahresb. VII p. 402.

e libris hauserit, internoscere difficile est, in comparationem cum Diodoro vocare nullo modo licet; *δεισιδαιμονίας* illius indicia nonnulla sane extant c. II, 3 *ταῦτα τοῦ Φιλομήλου λέγοντος οὐκ ἐγίνετο ἀκούσια τῷ πλήθει τῶν Φωκέων, εἴτε τὴν γνώμην σφίσι τοῦ θεοῦ βλάπτοντος, εἴτε καὶ αὐτοῖς πεφυκόσιν ἐπίπροσθεν εὐσεβείας τὰ κέρδη ποιεῖσθαι.* § 4: *Ὀνομάρχῳ μὲν τέλος τοῦ βίου τοιοῦτον ἐπήγαγεν ὁ δαίμων,* quibus etiam Onomarchi somnium addi potest, sed si re vera Pausanias Diodori auctore usus esset tam exiliter nudeque Phalaeci mortem eum commemoraturum fuisse incredibile est. Sed discrepantiae Pausaniae a Diodorea narratione nonnullae non parvi momenti inveniuntur. Primum enim iam post Philomeli mortem Philippum cum Thebanis foedus iniisse Pausanias contra Diodorum affert, deinde Onomarchum a suis ipsius militibus caesum esse solus tradit (v. supra p. 15), tum somnium Phaylli ab Onomarchi somnio, quod apud Diodorum (c. 33) legitur, plane diversum ex eodem fonte fluxisse qui Pack sibi persuaserit non assequor. Quae tum apud Pausaniam sequuntur vel eiusmodi sunt ut de origine nihil certi iudicari possit vel nihil cum Diodoro commune habent. De Packii opinionibus quid amplius proferri possit non video; Demophilum a Diodoro adhibitum esse nullis certis vel adeo probabilibus argumentis evinci posse satis luculenter demonstravisse mihi videor. Transeo nunc ad Volquardseni coniecturam a Roesslero sustentatam quali fundamento nitatur accuratius inquirendam, qua in re, cum de aliarum quoque Diodorei l. XVI partium fontibus iudicandum sit, omnes monitos esse volo, quaestiones eas quas attingam ex mea sententia iam hoc loco ad finem perducere non mihi propositum esse.

Coniecit vir doctissimus[1]), colore narrationis cpp. 28—40, 56—64 eundem indicari auctorem, cui narratio (c. 78) de Thrasio milite Delphici templi spoliationis participe deberetur, Timaeum Tauromenitanum, quem paucis locis exceptis in libris XI—XVI unicum Diodoro Sicularum rerum auctorem fuisse eruisse sibi visus est, quam sententiam Ad. Holm[2]) primus ita impugnavit, ut praeter Timaeum alios quoque historicos a Diodoro usurpatos esse diligenti scriptorum comparatione cum in reliquis partibus tum in ea qua

---

[1]) p. 113.

[2]) Geschichte Siciliens im Alterthum, I (1870) p. 316, II (1876) 340—382. Cf. etiam Broecker, Untersuchungen über Diodor. 1879. p. 21 sq.

Timoleontis historia continetur demonstrare studeret. Atque mihi quoque fundamentum illud, quo coniectura Volquardseni de Timaeo cpp. 28—40, 56—64, 78 auctore nititur, etiamsi Timaeum etiam Graecorum res illustrasse concedamus, minime tam firmum solidumque videtur, ut probabilibus argumentis subduci non possit.

Narratiunculam illam de Thrasio milite (Diod. XVI, 78) e Timaei[1]) historiis fluxisse nego, si quidem Plutarchus per totam fere Timoleontis vitam Timaeum primarium ducem secutus est, id quod omnes consentiunt[2]). Primum enim Plutarchus, quem in fontibus suis exscribendis magna fuisse cura negari non potest, tumultum illum stipendiariorum ita narrat (c. 25) ut neque Thrasii sacrilegii Delphici participis ullam faciat mentionem et Siculorum copiarum numerum a Diodoro prorsus diversum indicet (de qua re infra p. 28) et alio narrationis colore utatur: cum enim Diodorus rem ita exponat, ut Thrasius non tam propter praevalentem Carthaginiensium numerum quam propter stipendia iam diu debita seditionem movisse videatur — § 5: *οὐδὲ τοὺς ὀφειλομένους μισθοὺς πολλοῦ χρόνου διὰ τὴν ἀπορίαν ἀποδεδωκώς*; § 6 *συνεβούλευεν οὖν ὀνακάμπτειν — καὶ τοὺς μισθοὺς ἀπαιτεῖν*; 79, 1 *γράψας — καὶ τοὺς μισθοὺς δοῦναι* — Plutarchus ignaviam ut unam solamque rebellionis causam affert, 25, 4 *ἀποδειλιάσαντες*. Deinde gravissimum discrimen id elucet, quod Plutarchus in c. 30 interitu mille illorum mercenariorum eodem fere modo quo a Diodoro (82) exposito addit, in ea quae Carthaginiensium erat Siciliae parte ad Ietas *τοὺς μετ' Εὐθύμου τοῦ Λευκαδίου μισθοφόρους* a Mamerci Hicetae Gesconis copiis occisos esse. Pergit tum his verbis: *ἦσαν μὲν γὰρ οὗτοι τῶν μετὰ Φιλομήλου καὶ Ὀνομάρχου Δελφοὺς καταλαβόντων καὶ μετασχόντων ἐκείνοις τῆς ἱεροσυλίας*. Timaeo igitur auctore, nam Timaei vestigia apertissima in hoc Plutarchi (30) capite patent[3]),

[1]) Hoc unum agitur, utrum Timaeus auctor a Diodoro in c. 78 adhibitus sit necne. E verbis ipsis *καθάπερ μικρῷ πρότερον ἀνεγράψαμεν* nihil de sacri belli auctore colligendum esse luce clarius est.

[2]) Arnoldt, Die Quellen zu Timoleons Leben, Gumbinner Programm. 1848. p. 19, 20.
Haug, Die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Griechen. Tüb. 1854, p. 64.
Volquardsen p. 96.
Holm II, p. 377.

[3]) Holm p. 377.

Philomelus Delphicum templum spoliavit (cf. Diod. c. 30); sed multo maioris momenti est, quod Plutarcho vel Timaeo auctore e Phocensium ducum militibus manus quaedam — numerus non traditur — supererat, Diodori autem verba, ita ut extant, contrarium ipsum testantur (78, 4): *τῶν γὰρ ἄλλων σχεδὸν ἁπάντων τῶν μετασχόντων τῆς εἰς τὸ μαντεῖον παρανομίας τετευχότων ὑπὸ τοῦ δαιμονίου τῆς προςηκούσης τιμωρίας, — μόνος οὗτος διαλεληθὼς τὸ θεῖον κτλ.* Eodem Timaeo communi fonte Diodorum et Plutarchum usos esse vix quisquam contendet, neque Timaeum alio loco aliud dixisse neque Plutarchum, si auctor eius Thrasium solum sacrilegii participem fuisse dixisset, illud de Euthymi militibus finxisse credibile est. Pack non Plutarchi sed Diodori, quae eiusmodi, qualis Volquardseno visus est, religioso auctori non convenirent, verbis (82, 2 cll. Plut. 30) commotus Diodorum nihil aliud e fonte suo sumpsisse quam Thrasii unius cuiusdam e Phocensibus mercenariis inceptum, reliqua de suo intulisse statuit; sed vehementissime erravit. Ab usu rationeque Diodori usquequaque abhorret, vel auctorum suorum relationes consulto mutare vel aliena iis immiscere. Quod Volquardsen quoque neglexisse mihi videtur, cum Diodorum et Plutarchum in omnibus fere rebus Timoleontis enarrandis Timaeo communi auctore usos esse cum iis quae de reliquis Diodori libris eruisse sibi visus est convenienter contendit, atque idem Nissenium[1]) attulit, qui Diodorum in ll. 28—32 Polybium partim ad verbum transtulisse, partim excerpsisse, nihil autem consulto commutavisse evidentissime demonstravit! Ut igitur iudicium de c. 78 narratiuncula Timaeo abiudicanda supra pronuntiatum quam fieri potest commendem, reliqua quoque Diodori capita ad Timoleontis historiam pertinentia peragremus necesse est, quae quamquam multis in rebus cum Plutarcho ad communem relationem nos ducere videntur tamen persaepe vel alias res vel similes ordine mirum in modum perturbato atque permixto continent. Atque in tantis discrepantiis ne Volquardsen quidem facere potuit quin c. 65 Timaeo abiudicaret, quod quo iure fecerit plenius exponere non opus est. Sed discrepantiae a doct. vir. notatae duas alias minime neglegendas addo. Vix enim casu factum est, ut iisdem in locis a Diodoro et a Plutarcho ab alio aliud Timoleontis patris nomen tradatur, a Diodoro Timaeneti (c. 65, 2; 90, 1), a

[1]) Krit. Untersuch. p. 110 sq.

Plutarcho Timodemi (c. 3; 39); aliud discrimen id est, quod Plutarcho auctore Syracusani non tum ad civiles tumultus componendos quam contra periculum a Carthaginiensibus imminens, qui magno exercitu in Siciliam transvecti erant (c. 2), a Corinthiis auxilium petiverunt, e Diodori autem narratione id dilucide apparet (c. 65, 67) Carthaginienses Timoleontis expeditione comperta tum demum cum tyrannis Sicularum urbium foedera iniisse, imprimis cum Hiceta (e verbis c. 67: *μάλιστα δὲ πρὸς Ἱκέτην τὸν τῶν Συρακοσίων δυναστεύοντα*, nisi corruptela (pro *Λεοντίνων*) subest, facile concludi potest, Hicetam iam tum Syracusas tenuisse). Aliam igitur haud dubie relationem Diodorus sequitur, praesertim cum, quod Holm[1]) monuit, non solum Hannonem pro Magone (Plut. c. 17; cf. 19) Carthaginiensis classis praefectum afferat, sed etiam duobus in locis (67, 2; 69, 3) eundem Carthaginiensium copiarum numerum Plutarcho opponat, quamquam huius (c. 17) *ἓξ μυριάδων πεζῶν* ex ipsius vel librarii errore oriri potuisse non negaverim[2]).

Summae difficultates c. 69, 70 nobis parantur, quibus Syracusarum obsessio[3]) mire describitur. Primum enim Diodorus Timoleontem Hiceta ad Hadranum pulso statim ad Syracusas duxisse in c. 68, 11 fin. contra Plutarchum exponit, quo auctore arce (c. 13) et Achradina (18) captis, militibus subsidiariis a Corinthiis missis et in Siciliam transvectis, Messana occupata tum demum (c. 20) Timoleon *ἐπὶ τὰς Συρακούσας ἐβάδιζεν*. (cf. c. 16 et 18). Deinde res in c. 69 a Diodoro narratae cum Plutarcho comparatae incredibilem in modum permixtae videntur. Eodem enim tempore Insula a Dionysio, Achradina et Neapolis ab Hiceta, reliquae urbis partes a Timoleonte occupatae teneri, portus magnus a Carthaginiensibus obsideri dicuntur! E Plutarchi autem relatione (c. 9) Hicetas *τὰ πλεῖστα μέρη τῶν Συρακουσῶν κατειληφὼς ἐκεῖνον μὲν εἰς τὴν ἀκρόπολιν καὶ τὴν καλουμένην Νῆσον συνεσταλμένον αὐτὸς συνεπολιόρκει καὶ συμπεριετείχιζε* (cf. c. 11: *ὅτε καὶ παντάπασι συνέβη τοὺς Συρακοσίους ἀπογνῶναι τὴν σωτηρίαν, ὁρῶντας τοῦ μὲν λιμένος αὐτῶν Καρχηδονίους κρατοῦντας, τὴν δὲ πόλιν Ἱκέτην ἔχοντα, τῆς δ' ἄκρας κυριεύοντα Διονύσιον, Τιμολέοντα δὲ κτλ*). C. 13 Dionysius se

[1]) II, p. 376.
[2]) Volqu. p. 98.
[3]) Holm II, p. 466.

arcemque Timoleonti dedit, qui ad id temporis nullam urbis partem tenebat, c. 17 Hicetas, qui multis Carthaginiensium navibus portum iam antea occupandum curaverat (c. 11) totam classem Magone duce advocat; c. 18 Neon, Corinthiorom praefectus, excursione ex arce facta Achradinam obtinet, c. 21 Hiceta fugato tota urbs a Timoleonte occupatur. — Numquam igitur Plutarcho (Timaeo) auctore aut Hicetas Achradinam et Neapolim solas aut Timoleon reliquas urbis partes praeter Insulam tenebat (Diod 69, 3). Sed reliqua quoque c. 69 pars quam maxime a Plutarcho dissidet. Societate enim Mamerci multorumque castellorum, Corinthiorum adventu *ἄλογόν τινα καὶ παράδοξον μεταβολὴν* incidisse, Timoleontis eiusque militum animos magnopere demissos restitutos esse, Carthaginienses metu perculsos e portu discessisse quis Diodoro credat, cum Plutarchus non solum Mamercum (c. 13) oppidaque multa iam ante arcis deditionem Timoleontis partes secutos esse diserte memoret sed etiam (c. 16) comperta demum Dionysii deditione Corinthios auxilia Timoleonti misisse plenius exponat?

Hic subsisto; alia quoque restant, quae quantum Diodorus a Plutarcho discrepet clarissime illustrant, sed ea quae protuli satis sunt, ut Diodorum e prorsus alio fonte hausisse perspiciatur. Eundem auctorem haud dubie in c. 70 quoque adhibuit, quod non solum cum superiore artissime coniunctum est, (instituta Timoleontis non intelleguntur nisi urbe iam occupata) sed etiam alium colorem praebet atque Plutarchi eiusdem rei narratio (13—15). Discrepantia vero ea est, quod Dionysius Diodoro auctore *ἐν μικρῷ στρογγύλῳ πλοίῳ*, Plutarcho autem auctore *ἐπὶ μιᾶς νεὼς* (sc. *τριήρους*) Corinthum a Timoleonte missus est. Holmio[1]) omnino assentior, qui Polybio XII, 4 teste[2]) Diodorum Theopompi vestigia premere recte statuit; Diodorum enim e duabus illis a Timaeo allatis relationibus Theopompeam consulto elegisse[3]) mihi quoque vix credibile est, praesertim cum saepius Diodorum varias relationes diligentissime e Timaeo transtulisse constet; habemus V, 6, 1 dissensionem Timaei et

[1]) II, p. 377.
[2]) *ἐν αἷς (Τίμαιος) Θεοπόμπου μὲν κατηγορεῖ, διότι Διονυσίου ποιησαμένου τὴν ἀνακομιδὴν ἐκ Σικελίας εἰς Κόρινθον ἐν μακρᾷ νηΐ, Θεοπομπός φησιν ἐν στρογγύλῃ παραγενέσθαι τὸν Διονύσιον.* cf. Broeker, p. 22.
[3]) Volqu., p. 101.

Philisti; XIII, 54, 5; 60, 5; 80, 5; XIV, 54, 6 Timaei et Ephori; XIII, 109, 2 Timaei et *τινῶν*; XX, 89 Timaei et *ἐνίων*. In tot tantisque discrepantiis Volquardseni explicatio omni modo reicienda mihi videtur; alium historicum a Diodoro adhibitum esse iam non negari potest atque ad Holmii coniecturam illam confirmandam nonnulla alia quoque argumenta facile apparent.

De Timoleontis legum datione duobus locis a Diodoro exponi atque ita ut alio alium auctorem exscriptum esse manifestum sit, Holmium quoque fugisse videtur. Sunt enim hi duo loci:

c. 70, 5 *εὐθὺς δὲ καὶ νομογραφεῖν ἤρξατο τιθεὶς δημοκρατικοὺς νόμους καὶ τὰ περὶ τῶν ἰδιωτικῶν συμβολαίων δίκαια καὶ τἄλλα ἀκριβῶς διέταξε κτλ.*

c. 82, 6: *εὐθὺς δὲ καὶ τοὺς προϋπάρχοντας νόμους ἐν ταῖς Συρακούσαις οὓς συνέγραψεν Διοκλῆς διώρθωσε. καὶ τοὺς μὲν περὶ τῶν ἰδιωτικῶν συμβολαίων ἢ κληρονομιῶν εἴασεν ἀμεταθέτους, τοὺς δὲ περὶ τῶν δημοσίων νενομοθετημένους πρὸς τὴν ἰδίαν ὑπόστασιν ὥς ποτ᾽ ἐδόκει συμφέρειν διώρθωσεν. ἐπιστάτης δ᾽ ἦν καὶ διορθωτὴς τῆς νομοθεσίας Κέφαλος ὁ Κορίνθιος.*

Discrepantiae satis perspicuae sunt: alio loco Timoleon *νομοθέτης* alio *διορθωτὴς* est; idem qui c. 70, 5 privatum ius accurate descripsisse dicitur c. 82, 6, quod ad id temporis Syracusis vigebat, intactum integrumque reliquit, publicum ius cum Cephalo correxit. Aut igitur Diodori unus auctor de eadem re diverso modo duobus locis exposuit aut alio loco alium adhibuit auctorem Diodorus, quod mihi quidem pro certo est[1]). Duo fontes extitisse mihi videntur, quorum alter Timoleontis legum dationem arcis occupationi continuo annexit, alter una cum reliquis Timoleontis consiliis rationibusque ad Siciliae opes restituendas pertinentibus explicavit, cui Plutarchi relatio (c. 24)[2]) simillima est, qui quamquam ante pugnam ad Crimisum commissam de Timoleontis cura legibus Syracusanis corrigendis impensa refert tamen in eo cum Diodoro consentit, quod

---

[1]) Diodori levitati eandem rem bis commemoratam imputare quae de Amphipolorum munere in c. 70 leguntur omnino vetant. Extrema eiusdem capitis verba e Siculi ingenio fluxisse non minus constat quam de Agyrrhio oppido ter a Diodoro laudato (82, 4, 5; 83, 3).

[2]) *καὶ τοῖς ἥκουσιν ἐκ Κορίνθου νομοθέταις Κεφάλῳ καὶ Διονυσίῳ τὰ κυριώτατα καὶ κάλλιστα συνδιαθήσων.*

paulo ante de exulum colonorumque in Siciliam adventu accuratius agit[1]).

Haec sunt quae de c. 69 et c. 70 Diodori cum Plutarcho collatis imprimis notanda mihi videntur. At Volquardsen, quem discrepantiae minime fugerant, confusionem rerum temporumque rationem vehementissime perversam e levitate inscitiaque Diodori ortas duxit[2]), quod minime mihi probavit. Primum enim quod Volquardsen, qui[3]) dissensionem Diodori et Plutarchi de tempore Timophanis caedis e Timaeo a Diodoro foedissime depravato derivare non ausus est, Diodori cpp. 69, 70 e Plutarchi fonte fluxisse arbitratus est valde miror. Non minor profecto depravatio sit, si omnino est; audacia vel potius impudentia, qua Diodorus capita illa e fontis sui accuratissima optimoque ordine procedente narratione conglutinasse ac corrupisse Volquardseno auctore videretur, tanta est, quanta Diodoro nullo iure imputari debet. Deinde Diodorum auctoris sui — Timaei — relationem continuam ita transformasse ac mutavisse, ut notitiae de Theopompi Philippicorum libris 39—41 e fonte illo gravissima litterariae historiae facta complectente excerptae accomodaret, quis Volquardseno assentiatur, qui inter omnes eiusmodi adnotationes et Diodori ipsius narrationem nullam necessitudinem intercedere ipse luculentissime ostendit? Ne id quidem ei concedam, a scriptore illo pro pugna ad Crimisum commissa Dionysii deditionem positam esse. Primum enim illum, qui de reliquis scriptoribus rectissime adnotavit, in hoc uno loco tam leviter egisse ut facta duo annis distantia confunderet vix verisimile est. Deinde quid obstet, quominus Dionysii deditionem aptissime ultimum locum tenentem a Theopompo vere sub anno 343 narratam esse ponamus, non video. Contra ex eo ipso, quod a Diodoro arcis occupatio anno 343 datur, cum Holmio[4]) Theopompeam relationem Diodoreae narrationi subesse conicio — aliud Theopompi vestigium iam agnovimus —; quod Diodorus sub quatuor annis exponit, quae per unum annum facta sunt, minime offendit; cum aliae res ei non praesto essent, quatuor archontum annos ol. 108, 2—109, 2 Siculis

---

[1]) Corn. Nepos in tempore quo Timoleon leges libertatemque civitatibus reddidit, definiendo omnino cum Diodoro facit; vit. Tim. 3.

[2]) p. 98.

[3]) p. 96.

[4]) II, p. 466.

rebus quam poterat explevit. Sic arcis deditio eum quem nunc habet annum obtinuit.

Si iam in Diodori narratione excutienda pergimus, ad c. 78 unde profecti sumus, pervenimus. Plutarchi comparatio alium ab hoc alium a Diodoro in Thrasii incepto enarrando adhibitum esse dilucide effecit. Quae sententia duobus ex eodem capite petitis argumentis confirmari mihi videtur, quibus observationem hanc praemitto: legimus apud Diodorum 77, 5 magnitudine Carthaginiensis exercitus comperta Timoleontem bellum cum Hiceta composuisse quod Plutarcho parum convenit, qui una cum rebus a Diodoro similiter in c. 72 narratis Hicetam a Timoleonte coactum tyrannide sese abdicaturum pollicitum esse diserte affert. Sed maioris momenti est, quod Diodoro auctore (78, 2) *τὰ πλήθη* — mercenarii, Syracusani, socii — quam celerrime in barbaros sese duci velle summo ardore clamaverunt, e Plutarchi autem relatione (c. 25) Syracusanorum animi tantum compressi erant, ut aegre tria milia arma capere auderent. Deinde de numero Timoleontis copiarum alius aliam rationem sequitur. Diodorus enim tradit, Timoleontem non plus duodecim milia omnino secum duxisse, cui numero quae subsequntur plane respondent: *ἑξαπλασίους γὰρ ὄντας τοὺς Καρχηδονίους κτλ* (78, 5) cf. 77, 4 (*εἶχον δὲ σύμπαντας — πεζοὺς μὲν πλείους τῶν ἑπτακισμυρίων, ἱππεῖς δὲ καὶ ἅρματα καὶ συνωρίδας οὐκ ἐλάττους τῶν μυρίων*). Diodoreus igitur fons peditum equitumque numeros seorsum dedit. Plutarchus eo differt, quod tria milia Syracusanorum et quatuor mercenariorum Timoleontem secutos esse indicat; reliquorum Siculorum, qui in pugna (c. 27) commemorantur[1]), nullam mentionem facit, quod per se nihil valeret nisi ne auctorem eius quidem de sociorum numero quid tradidisse e sequentibus verbis luce clarius esset. Cum septuaginta enim milibus hostium (cf. paulo ante dicta *ἄγοντας ἑπτὰ μυριάδας στρατοῦ*, id est et peditum et equitum) mille mercenariis illis deductis quinque milia peditum et mille equites comparantur, quod numquam fieri potuit, si sociorum numerus paulo ante definitus erat.

Haec satis esse mihi videntur ad eam quam supra protuli sententiam comprobandam. Si vero Plutarchus Timaeo in Timoleontis vita conscribenda primario vel adeo unico auctore usus est,

[1]) *τὰ μὲν κέρατα τοῖς ἄλλοις Σικελιώταις ἀπέδωκεν κτλ.*

magnam partem Diodorea Timoleontis rerum enarratio Timaeo abiudicanda est. Nam reliqua quoque capita, quae nunc singula pervestigare omitto, quamquam plerumque communem cum Plutarcho relationem reddere videntur[1]), tamen discrepantiis eiusmodi non carent, quae ad alium auctorem necessario Diodori rationes caute expendentes nos ducant. Sed, ut supra dixi, quaestionem absolvere non mihi propositum est.

Quoniam sententias adhuc prolatas imprimis notandas recensui, nunc meum sit, quae ipsi mihi de auctoribus a Diodoro adhibitis statuenda videantur, accuratius explicare. Sed fateor, nondum mihi contigisse, ut uni ex historicis, quos Pack[2]) enumeravit aut priorem aut alteram duarum illarum, quas eruisse mihi videor, relationum vindicarem. Quamobrem ne aliorum sententias impugnare, ipse autem nullam proferre posse videar, minime timeo; ii qui huic quaestioni aliquam curam impenderint facile mihi concedent, rectius esse in miserrimis historicorum illorum operum reliquiis tacere quam coniecturas omni probabilitate carentes proferre. Spero fore ut aliquis me doctior quaestionem hanc ad iustum finem perducat atque summum operae pretium mihi contigerit, si disputatio mea non frustra instituta ei videbitur.

II. De vitis Demosthenis.

De vitis Demosthenis quae a Plutarcho, ab auctore vitarum decem oratorum, a Photio, Libanio, Zosimo, eo qui vulgo Anonymus fertur, Suida scriptae ad nos pervenerunt omnibus coniunctim post Westermannum[3]) nemo accuratius disputavit, sed vv. dd. aut in singularum vitarum compositione fontibusque exquirendis cum maiore vel minore probabilitate versati sunt aut de ratione universarum tam generatim iudicaverunt ut certa quaedam firmis stabilita argumentis sententia haberi nequeat. Operae igitur pretium mihi videtur, praesertim cum ea quae Westermann de vitis statuit ei

[1]) cf. Meltzer in Fleck. ann. t. 107 p. 234—237 et t. 111 p. 734 sq.

[2]) p. 189 sq.

[3]) Quaestiones Demosthenicae. Pars IV. Lipsiae 1837.

quae hodie usurpatur criticae arti non iam satisfaciant, ad vitas illas, quas quamquam in Demosthenicae historiae fontibus inferiorem locum tenent tamen neglegere non licet, melius aestimandas atque cognoscendas quantum in me est contulisse. Omnes quae de Demosthenis rebus ab illis allatis adhuc disputatae sunt sententias denuo tractare superfluum est, sed vitas illas per se quam accuratissime inspicere ac perscrutari nunc mihi in animo est. Atque disputationem ita instituam, ut primum e compositione vitarum et singularum per se et inter se comparatarum e qualibus fluxisse videantur fontibus perspiciamus, deinde biographorum aliorumque scriptorum veterum testimoniis et e vitis ipsis et aliunde notis usi quos potissimum auctores vitarum scriptores secuti esse videantur, indagare conemur.

De compositione singularum vitarum disputare ingredienti mihi primo loco de vita in corpore vitarum decem oratorum falso[1]) Plutarchi nomine tradita agere mihi in animo est. Quae quaestio cum ab ea quae est de Pseudo-Plutarcheis omnibus vitis rationeque qualis inter eas atque Photii vitas decem oratorum (codd. 259—268 Bekker) intercedat discerni non possit, ea quae iterum iterumque vitas utriusque auctoris comparanti mihi verisimillima visa sunt hoc loco edere mihi proposueram, cum casu evenit, ut in Ballheimeri dissertationem[2]) magna industria scriptam inciderem, cui si non in omnibus, at tamen in plerisque gravissimisque rebus assentior. Qua de causa ne acta agam, in Demosthenis vitis quid ego de Pseudo-Plutarcheis Photianisque vitis in universum cogitem, explanavisse satis habebo.

Ab ea opinione, quam Westermann[3]) acerrime defendit, in Biogr. praef.[4]) sustinuit quamque Arnoldus Schaefer[5]) et Blass[6]) adoptaverunt, „Photium pleraque e Pseudo-Plutarcheis vitis ad

[1]) A. Schaefer, Commentatio de libro vit. dec. orat. Dresdae 1844. Westermann Biogr. 1845. XVI.

[2]) De Photii decem oratorum vitis. Dissertatio inaug. Bonn. 1877, quam Alb. Martin recensuit in Revue critique. 1879. No. 45, p. 347—350.

[3]) qu. D. p. 72—75.

[4]) p. XVI.

[5]) l. l. p. 28 et in recensione Westermanni Biographorum in Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1848. p. 244—265.

[6]) Att. Bereds. ut alios locos omittam, III, 1, p. 5, not. 2; III, 2, p. 73, not. 2.

verbum transtulisse, saepius turbatum ordinem restituere studuisse et quaedam etiam nova addidisse“, hac nostra aetate primus A. Schoene[1]) in dissertatione de Lysiae vitis accurata illa quidem sed verba nimis premente discessit. Statuit vir doctus, duos a Pseudo-Plutarcho fontes adhibitos esse, quorum priori vitas ipsas tantum continenti Photii et Dionysii Halicarnassensis exemplar (ἱστορία) simillimum fuisset, alterius quasi πίναχος pars a Photio vel eius auctore exscripta esset; a Photio praeterea auctorem, qui ad rhetoricae artis regulas orationes inquisiverat, in usum vocatum esse. Quae disputatio, quamquam vix omnia probari possunt, tamen quod eam quam iam alii ante posuerant sententiam Photii vitas non mere e Pseudo-Plutarcheis transcriptas esse diligenti Lysiae vitarum comparatione confirmavit, cum magna respicienda est cura. Schoeni sententias qui impugnavit Zucker[2]) (p. 299) ad veterem illam Westermanni opinionem revertit. Roesiger[3]) de necessitudine Pseudo-Plutarchearum Photianarumque vitarum nihil certi professus est. Ballheimer demum cum ea, quam gravissima res postulat, cura diligentiaque quaestionem ita solvit, ut communem Pseudo-Plutarchi Photiique vitas originem habere pro certo statueret; etsi de argumentis rationibusque eius non paucis disceptari potest, tamen mihi quoque de communi vitarum illarum origine constat. Post Ballheimerum neminem habeo, quem in hac controversia accuratius versatum proferam; itaque ad quaestionem ita ut meo iudicio instituenda videtur tractandam me verto atque primum de Photii vita (cod. 265), si licet, disseram.

Constat haec vita duabus partibus, quarum priore (490 b 41 —492 b 20) primum numerus orationum genuinarum indicatur, deinde de nonnullis orationibus, quarum alias non Demosthenis alias scriptas sed non habitas esse rhetores statuerant, plenius disputatur, tum de Leptineae Midianaeque sermone plura disseruntur, denique quo anno aetatis Demosthenes Athenienses Olynthiis auxiliari iusserit, paucis adnotatur. Altera quae deinceps sequitur pars in duo divisa est capita, quorum priore vita continue scripta narratur (492 b 21

[1]) Die Biographien der 10 Attischen Redner. 1. Lysias. in Fleckeis. ann. 1871. p. 761—787.

[2]) Quae ratio inter vitas Dionysiacam, Pseudo-Plutarcheam, Photianam intercedat. In act. sem. phil. Erlang. 1878. p. 289—312.

[3]) De Duride Diod. et Plut. auctore. Diss. inaug. Gotting. 1874. p. 49.

—495 a 11), altero dictum Demosthenis Batalique cognominis interpretationes afferuntur. Paucis locis exceptis 492 b 37—40; 493 a 34—41, b 31—494 a 2 omnia optimo ordine sese excipiunt ita ut dispositionem illam iam a Photii fonte exhibitam esse verisimillimum sit, cuius nonnulla brevissime eum adumbravisse manifestum est, 492 b 29 *ἄλλοι δ' ἄλλα περί τε παιδεύσεως Δημοσθένους καὶ τῶν αὐτοῦ διδασκάλων ἱστοροῦσιν*; 495 a 12—15 *φέρονται δ' αὐτοῦ ἀποφθέγματα πλεῖστα καὶ γνωμολογίαι κτλ*; alia neglegenter e fonte suo transtulit.

Eadem vel simillima dispositio etiam in Antiphontis Andocidis Lysiae Isaei Aeschinis Hyperidis Dinarchi vitis dilucide apparet. Isocratis vitae ordo turbatus videtur. Primum enim de numero orationum et de arte rhetorica agitur, deinde vita narratur sed ita ut ante mortis commemorationem de complurium orationum compositione disputetur, morti autem nonnulla de moribus annectantur; tum iterum de compositione sermoneque orationum, praecipue panegyrici disseratur, denique de sepultura statuisque Isocratis plura afferantur. Hic ordo, quem Photium iam in exemplo suo invenisse mihi persuasum est, ita haud dubie explicandus est, ut disputationes illae rhetoricae 487 a 11—38; b 26—40 mediam in vitam illatae a diversis auctoribus profectae esse existimentur. Priorem enim de panegyrico, panathenaico, Philippicis orationibus disputationem semper cum Isocratis vita coniunctam extitisse, Pseudo-Plutarchi consensus (p. 249, 65—70 West. Biogr.) luculenter demonstrat; quod iam illo loco de compositione temporibusque orationum agitur, in Isocratis vita non offendit, praesertim cum a panathenaico, panegyrico, Philippo ad mortem oratoris exponendam facillime transeatur. Alteram autem rhetoricam partem 487 b 26—40 ex alius rhetoris officina prodiisse, in pristina vitae forma non extitisse, iudicium de panegyrico ab superiore illo (a 15) prorsus diversum extra omnem dubitationem ponit. Neque minus certum est, quod Photius alteram hanc rhetoricam disputationem non cum priore copulatam, sed contra consuetudinem suam, qua confusas permixtasque Pseudo-Plutarchei exemplaris res in certam quandam dispositionem redegisse plerisque videtur, ordine vitae turbato tam singulari explicat loco, iam fontem eius hunc ordinem praebuisse. Non aliter de reliquis vitis iudicandum mihi videtur, quas non e rudi indigestaque dispersarum notitiarum mole in eam quam nunc habent formam composuit.

Quod ad Lycurgi denique vitam (cod. 268) attinet, Photius orationes eius sese nondum legisse ipse ingenue fatetur, quindecim autem eas esse *ἐξ ἱστορίας* indicat. Quae verba A. Schoene[1]) ita interpretatus est, ut numerum orationum ex eo, quem Pseudo-Plutarchus quoque sequi videretur, biographico fonte, *ἱστορία* inscripto, a Photio petitum esse statueret. Mihi contra reliquarum vitarum compositionem consideranti Photii verbis id effici videtur, quoniam ut Lycurgi orationes perlegeret nondum evenerat, itaque ipsi de iis iudicare non licuit — ob eam ipsam causam Photius Lycurgi vitam in ultimo loco posuisse videtur —, aliorum iudicia, quae in fonte eius ut in reliquis vitis ita in Lycurgi quoque congesta extitisse non est cur suspicari dubitemus, eum sprevisse, e fonte suo, et ex rhetoricis et biographicis partibus composito, de oratore Lycurgo suae ipsius vitae teste diserte[2]) indicato nihil aliud nisi numerum orationum praemittere satis habuisse. Hac explicatione ne Lycurgi quidem vitam a solita illa dispositione abhorrere efficitur, sed ea quoque in duas divisa est partes, quarum priore nihil nisi orationum numerus traditur, altera vita 496 b 41—497 b 23 continuatur, deinde de coronis a populo donatis 497 b 23, 24, denique de familia Lycurgi exponitur. Quem si quis ordinem cum Demosthenis vita comparaverit, nullo pacto dubitabit, quin — quod per se ipsum consentaneum est — quae de familia, de honoribus Demostheni eiusque propinquis a populo decretis, de statua eius commemorantur (495 a 4—11) (cf. PsPlut. 288, 84—191) cum continua vita arte cohaerentia eiusdem sint partis.

Iam vero Pseudo-Plutarcheam vitam contemplemur atque sic agamus, ut primum verba ipsa eorumque quae ratio cum Photio sit inspiciamus, deinde compositionem, quoad fieri possit, eliciamus. Atque ea necessitudo intercedit, ut, quamquam in plerisque non solum rebus sed etiam verbis maximus patet consensus, tamen aliam vitam ex alia exscriptam esse vix statui possit sed ad communem

[1]) p. 784, 787.

[2]) *ἐξ ἱστορίας μεμαθήκαμεν* 496 b 41, cll. 497 a 3 *ὡς ἡ ἱστορία λέγει*. *ἱστορία* voce nihil aliud quam fontem a Photio exscriptum significari in propatulo est. Omnino assentior et Zuckero (p. 305) Schoeni interpretationem Dion. Hal. p. 587 et 725 R. collatis impugnanti et Martino Ballheimeri argumentum quod Photium anonymo fonte usum esse statuit (cf. Schaefer, comm. p. 28) optimo iure refutanti.

originem eas redire pro certo habendum sit. Apertissimus ille consensus, qui Westermanni sententiam utique commendare videtur, omnia reliqua argumenta expendenti mihi non tanti momenti est, ut nulla alia re nisi quod aliae vitae ex aliis ad verbum plerumque mere transcriptae sunt, cum aliqua probabilitate explicari possit.

Quodsi duas vitas comparemus, Photius primum novum affert 493 a 22—33 [1]), deinde multa copiosius exponit 492 b 41, 42; 493 b 10, 11; 12; 17, 18; 20—30 [2]); 31—494 a 2 (PsPlut. 284, 90—93) [3]) 494 a 11, 12; b 16 et alia nonnulla levioris notae in 494 b 13—33. Alia magis minusve diverso modo exhibet, partim meliore ut videtur scriptura servata, velut exercitationes oratorias 492 b 42—493 a 33; 494 a 30 *μηδὲ* (PsPlut. *ἤδη*); a 33 *τὰ ἀνενεχθέντα εἰς τὴν ἀκρόπολιν η´ καὶ τ´ ἢ ὀλίγῳ πλείονα εὑρέθη* (Plut. p. 285, 17 *φήσαντος δ' Ἁρπάλου ψ´ καὶ ν´ ἢ ὀλίγῳ πλείονα*, quae lacuna a Duebnero ita expleta est, ut *η* e *ν* corruptum videatur); 495 a 2—4 *ἐβίω δὲ ὡς μὲν οἱ τὰ πλείω λέγουσιν ἔτη ο´, ὡς δ' οἱ τὸ ἐλάττω ζ´ καὶ ξ´, ἐπολιτεύσατο δὲ β´ καὶ κ´ ἔτη* cf. PsPlut., p. 287, 173 *δὲ δύο καὶ εἴκοσιν* qua in lacuna aperta nihil nisi Photii verba extitisse minime tam exploratum est, quam A. Schaefero [4]) Salmasio Westermanno auctoribus videtur. Neque minus PsPlutarchi verba 288, 193 sq. *χρόνῳ δ' ὕστερον Ἀθηναῖοι σίτησίν τε ἐν πρυτανείῳ τοῖς συγγενέσι τοῦ Δημοσθένους ἔδοσαν καὶ αὐτῷ τετελευτηκότι καὶ* (in A) *τὴν εἰκόνα ἀνέθεσαν ἐν ἀγορᾷ* cum Schaefero, quamvis sagaciter coniecerit, emendare dubito. Rectissime vero post PsPlutarchea 283, 61 *προελθὼν δὲ πάλιν εἰς τὰς ἐκκλησίας νεωτερικῶς τινα λέγειν διεσύρετο, ὡς κωμῳδηθῆναι αὐτὸν ὑπ' Ἀντιφάνους καὶ Τιμοκλέους* lacunam doctissimus vir statuit cll. Plut. Dem. 9. Phot. 493 b 12 et explevit, quamquam PsPlu-

[1]) Ballheimer p. 4, 5.

[2]) Ballheimer p. 7.

[3]) Photium Pseudo-Plutarchi verba veri Plutarchi (c. 26) memorem transtulisse, quod A. Schaefer in Zeitschr. f. Alt. p. 249 statuit, ei qui Plutarchum accurate perlustraverit, vix probabile erit. Schaefer ipse, p. 259, additamenta e Plutarchi vita a Photio illata esse negavit. Nihil causae est, quod Plutarchus simillimam narratiunculam tradit, nisi alia graviora argumenta accedunt, Photium duorum scriptorum verba contaminasse statuendi, sed Ballheimeri explicationi (p. 7, 8) omnino assentior.

[4]) l. c. p. 257.

tarcheum integrum locum omnino Demetrii Phalerei nomen exhibuisse mihi non constat praesertim cum, si quis Photii Pseudo-Plutarchea verba partim brevius partim uberius reddentis rationem intellexerit, Photium de Eubulide quod protulit iudicium ipsum de suo obiter intulisse vix sit futurum ut Schaefero concedat. Interdum Pseudo-Plutarchi verba apud Photium corruptelas experta sunt, velut Phot. 492 b 27 *ὁ δὲ Ἰσαῖος-Πλάτωνα τὸν φιλόσοφον* (PsPlut. 281, 6—8), 494 a 19 *Δημοτελοῦς* et v. 21 *Διοδότου* pro *Δημομέλους* (PsPlut. v. 106) et *Διώνδου* (v. 109). Contra et PsPlutarchi (286, 126) et Photii (494 a 38) libri *Προκλέους* exhibent.

Haec, ut alia multa omittam, imprimis notanda de verborum ipsorum ratione, priusquam ad compositionem Pseudo-Plutarcheae vitae excutiendam me vertam, praemittenda censui. Quam ad perspiciendam compositionem a verbis 288, 202 proficiscamur: *φέρονται δ' αὐτοῦ λόγοι γνήσιοι ξέ* quae, quamquam turbae variarum ad oratorem pertinentium rerum incompositae intexta sunt, ad originem vitae intellegendam magni momenti esse mihi videntur. Auctor enim PsPlutarchearum vitarum constanti fere usu atque cum Photio fere convenienter singulis cuiusque oratoris rebus continue enarratis et vel morte vel sepultura vel honoribus descriptis numerum orationum et si quae alia scripta sunt breviter significare, aliquotiens etiam de genere dicendi aliisque rhetoricas rationes spectantibus nonnulla expromere solet, quae in Photii vitarum prioribus partibus cum aliis rhetorum placitis coniuncta iterum nobis occurrunt. Atque sic sentio, omnes illas, quas modo indicavi, notitias non semper eum quem nunc in Pseudo-Plutarcheis vitis tenent locum habuisse, sed a pristino proprioque loco ab uno eodemque scriptore motas in fine singularum vitarum quasi clausulas transpositas esse [1]). Videtur enim corpus vitarum decem oratorum extitisse, quae singulae primum oratorum scripta enumerabant, iudicia rhetorica annectebant, deinde temporum ordine rerumque serie plerumque quantum fieri poterat diligenter observatis vitas oratorum enarrabant. Ex hoc archetypo (ut hoc appellatione utar) duae familiae manaverunt, quarum priore ordo ille multis insertis partim

[1]) Burckhardtium quoque in numeris orationum fere ubique eodem modo expressis haesisse nunc video (Caecilii rhet. fr. coll. disp. comm. Basileae 1863; p. 50).

nova partim iis, quae in pristina vitarum forma exposita erant, contraria afferentibus conturbatus est, e rhetorica archetypi parte memoratu imprimis digna libata et aliquo modo cum vitis (quas quidem proprio sensu nuncupo) consuta sunt, altera autem, archetypi dispositione omnino servata, prior pars multis recentiorum rhetorum sententiis amplificata — quos per gradus vix sciri potest — alterius autem partis pristina forma fere integra propagata est. Hanc Photii et Pseudo-Plutarchi vitarum historiam[1]) breviter nunc adumbratam in Demosthenis vitis comprobaturum me esse spero. Sed antea notitias illas, quae ex archetypi prioribus singulis partibus a Pseudo-Plutarchearum vitarum auctore in ultimos locos transpositae esse mihi videntur, in uno conspectu percenseamus.

In Andocidis vitae fine p. 239, 40—44 verba *δηλοῖ δὲ περὶ πάντων — εἰρήνης* duobus auctoribus tribuenda esse manifestum est[2]) et Photio 488 a 15—21 adiutore ita iudico, verba v. 42—44 *σώζεται — εἰρήνης* una cum notitiis de Socrate contemporali (v. 44, 45) ac de anno natali cum Lysiaco comparato, et iudicio rhetorico (v. 53, 54) ex archetypi priore parte evulsa in extremam totius vitae partem irrepsisse, a posteriore quodam scriptore verba *δηλοῖ — δεομένου* alteri parti inserta esse. Atque eo sententia mea exit, ut archetypi alteri biographicae parti versus 47—53 *τούτου — Σειληνοῦ* assignanda esse statuam. In Lysiae vita verba p. 242, 39 *φέρονται κτλ* — 243, 49 in plerisque cum Photio 488 b 14—24 ita consentiunt, ut ab hoc puriorem scripturam servatam esse pateat. Verba v. 42 sq. *ἔστι — ἕτερος* Burckhardt[3]) male intellexit, namque ad duas illas ipsas causas pertinent, quibus Lysias cecidisse dicitur. Sed ea quoque quae paulo ante leguntur verba e priore archetypi parte petita sunt cf. Phot. 489 b 87 *εἶδε δὲ Δημοσθένην μειράκιον ὄντα*, quibuscum comparanda sunt in Andoc. vitis PsPlut. 239, 44—47 Phot. 489 a 20—22. De Isocratis vita nihil iam habeo, quod proferam; satis est monere, numerum orationum p. 251, 10 sq. sepulturae accuratius expositae additum esse, cf. Phot. 486 b 4—7[4]). Isaei vitam e duabus partibus consutam esse nemo non videt, cum Photius simplicissima dispositione servata primum de

---

[1]) cf. Schaefer, Comm., p. 37. 38.

[2]) Blass, Att. Bereds, I., 285.

[3]) Caec. fragm., p. 52.

[4]) Photii verba 486 b 11—13 *γέγονε — τριῶν* a continua vita segreganda sunt.

numero orationum earumque sermone agat, deinde pauca ea, quae de Isaei vita reperiri poterant, nude comprehendat. In hac quoque vita apud Pseudo-Plutarchum numerus orationum finem facit. Quod ad Aeschinis vitam attinet, PsPlut. v. 264, 41—43 plane respondent Photio 490 a 33—35, cuius plenius iudicium (*ἔστι δὲ τοῖς λόγοις αὐτοῦ γλυκύς τε καθαρὸς καὶ εὐκρινὴς καὶ τῇ τῶν ἐνθυμημάτων σαφηνείᾳ σεμνυνόμενος*) eiusdem originis atque brevem Plutarchi v. 39 sententiam esse in promptu est. Ne archetypi quidem priorem partem additamentis caruisse, de qua re infra dicemus, a Photio docemur, qui 490 a 41—b 4 eadem praebet, quae simillima forma apud PsPlut. 264, 48 sq. 265, 51—56 inveniuntur. In Lycurgi vita numerum orationum et quae de causis complurium afferuntur 276, 126 et 133 sq. magnam partem e priore archetypi parte fluxisse mihi persuasum est. De Hyperidis vita cf. PsPlut. 314, 54—56 et Phot. 495 a 1—9. In Dinarchi denique vita, Proxenea causa commemorata (Dion. Hal. de Din. iud. p. 635 R.: *οὗτος μὲν ὁ βίος τἀνδρός*), cum Photio 496 a 40—b 7 convenienter numerus orationum adiungitur, de genere dicendi nonnulla disputantur. De Antiphontis Pseudo-Plutarchea vita disserere in ultimum locum distuli, quod sententiam, quam de archetypi Pseudo-Plutarchearum ac Photianarum vitarum communis forma supra professus sum, optime comprobare mihi videtur. Contra eam enim, quam in reliquis omnibus vitis observatam videmus, consuetudinem, non solum orationum numerum sed etiam rhetorica iudicia extremo loco adiungendi, in Antiphontis vita Caecilianum iudicium (Burckh. p. 26) et orationum numerus (B. p. 27) ab Antiphontis rerum narratione seiuncta inveniuntur. Quod non casu evenisse, sed archetypi ordinem a Pseudo-Plutarcheae vitae scriptore partim servatum partim mutatum esse Photii comparatione in clara luce ponitur. Haec enim archetypi videtur fuisse forma: primo loco Antiphontem primum aliis orationes scripsisse (Thuc. 8, 68) nec non artem reliquisse expositum erat, deinde de dicendi genere et de numero orationum Caecilio imprimis auctore (Burckh. fr. 1, 2, 5) penitius actum est, tum demum vita continue enarrata est. Quae archetypi, huius quoque additamentis praecipue ex oratoris cum tragico poeta et sophista cognominibus commutatione postea insertis depravati, forma in Photii vitae priore parte facillime cognoscitur, cum Pseudo-Plutarcheae auctor archetypi ordinem ita

mutaret, ut, quae in priore Photianae parte (485 b 41 sq; 486 a 14—25) nunc leguntur, in extremo loco collocaret, reliqua suo loco non moveret.

Hac perscrutatione finita ad Demosthenis vitam redeamus, cuius verba *φέρονται δ' αὐτοῦ λόγοι ξέ* (288, 202) ob nihil aliud nisi ut biographicam partem clauderent ex archetypi priore parte hunc in locum transposita esse mihi videntur. Sed alia quoque cum quem nunc habent locum non semper tenuisse neminem fugit. Sunt eiusmodi verba 284, 81—89 (Phot. 492 b 18—20 cll. a 27) atque primum notitia de tempore Olynthiacarum orationum [1]). Discrepantia Pseudo-Plutarchi (*ζ' καί λ' ἔτη γεγονὼς*) et Photii (*η' καὶ λ' ἔτη*), nisi e librarii errore, fortasse inde orta est, quod cum in archetypo archontis Callimachi nomen solum indicatum esset ab alio alius numerus computatus est. Deinde non aliam originem duxerunt quae de Xenophonte, Platone adnotantur (cf. p. 36). Philippi commemorationem (283, 75—284, 81) causam fuisse notitias illas hunc in locum transponendi planum est. Sed haec quae ab omnibus facile concedentur ad compositionem Pseudo-Plutarchearum vitarum recte intellegendam minime satisfaciunt, sed multo longius mea quidem sententia progrediendum est ad pristinam archetypi formam animo restituendam et gradus per quos vitae eam quam nunc praebent speciem induerint, coniecturis assequendos.

De compositione archetypi illius, qualis mihi fuisse videatur, abunde dixi. Ex varii generis ad atticos oratores pertinentibus scriptis ea, quae ad opera eorum intellegenda sciri necessarium visum est et orationes ipsas et vitas oratorum spectantia, Caecilii aetate vel postea unum in corpus redacta sunt atque ita, ut temporum rerumque ordinis quam maxima ratio haberetur. Sed ne hoc quidem opus ea, quam reliqua veterum scripta, quamquam alio modo, experta sunt, fortuna caruit: additamenta, interpolationes varii generis in contextum invaserunt. Eiusmodi enim omnia ea esse mihi videntur, quibus et apud Pseudo-Plutarchum et apud Photium temporum rerumque ordo perturbatur; sic iudico de PsPlut. 282, 27—30 Phot. 492 b 37—40, quae verba propter simillimos tutelaris Midianaeque causarum exitus illata mihi videntur. Idem sentio de PsPlut. 282, 43—52 Phot. 493 a 34—41 quae locum

---

[1]) v. Sauppium, Götting. Gelehrt.-Anz. 1863. p. 1661—1668.

suum occupasse videntur, ut qui factum esset, ut Demosthenes in contione loqueretur, explanarent. Non magis, quae apud utrumque de Demosthenis in Aeschinem magnaminitate leguntur, archetypo abiudicare dubito (PsPlut. 284, 90—93; Phot. 493 b 31—494 a 2). Quibus locis etiam numeros Demosthenicorum annorum a Photio traditos addo, si quidem Pseudo-Plutarcho quoque restituenda sunt, 495 a 2, 3: *ἐβίω δὲ, ὡς μὲν οἱ τὰ πλείω λέγουσιν, ἔτη ο', ὡς δὲ οἱ τὰ ἐλάττω, ζ' καὶ ξ'*. Quam notitiam una cum vitae ipsius ratione (PsPlut. 284, 81) (cf. supra p. 34) ab uno eodemque auctore scriptam esse, ut credam nullo modo adduci possum. Neuter enim, quod utique necessarium esset [1]), numerus in illam rationem quadrat; apertum igitur est, numeros illos a posteriore quodam in archetypum illatos esse neque cum Schaefero [2]) eos emendare opus est. Ex eiusmodi igitur archetypo additamentis iam amplificato — tenendum semper est, qua incerta via ingrediamur, cum subsidia sola e comparatione Pseudo-Plutarchi Photiique vitarum petenda sint — duae, ut supra iam dixi, familiae profectae sunt, quarum novissimi testes illi scriptores existimandi sunt, quaeque a communi parente separatae alia aliam fortunam, additamenta ac corruptelas, expertae sunt. Atque longe optima fortuna Photii familia usa est, rhetorum recentiorum iudiciis aucta [3]); miserrima autem sors alteri contigit, quae dispositione pristina foede discerpta interpolationibus multo magis patebat, in quibus — reliquas vitas praetermitto — hae praecipue notandae sunt p. 287, 175—288, 183; 289, 207—217; 290, 237—243 qui locus interpolationibus variis eminet, nam non solum v. 240 *τοὺς δὲ πλείσιους λόγους εἶπεν αὐτοσχεδιάσας, εὖ πρὸς αὐτὸ πεφυκὼς* cum paulo ante dictis (v. 233—236) pugnant, sed etiam vv. 241—243 *πρῶτος — Λιώνδας* alius originis sunt atque vv. 106—110. Hic subsisto, ne ultra probabilitatis fines vagari videar; sed nisi coniecturis eam quam A. Schaefer [4]) delineavit historiam assequi nos non posse in aperto est.

Transeo nunc ad veri **Plutarchi** vitae compositionem pro meis

---

[1]) cf. Isocratis vitam PsPlut. 249, 64 cum 247, 7 et 249, 56 (Phot. 487 a 39, 40; 486 b 11).

[2]) Dem. u. s. Z. III. Beilage. II, p. 52.

[3]) Aliam rationem sequuntur Photii verba 492 a 27, aliam b 18—20.

[4]) Comm. p. 37, 38.

viribus illustrandam. Post Westermannum[1]) Roesiger[2]) primus maiorem curam ei impendit, qui, quamquam plerasque earum quas posuit sententias minime mihi probavit, tamen, quod quaestioni de vita illa eiusque fontibus pro suo iudicio lucem aliquam afferre studuit, non sine laude nominandus est. Meam iam perscripseram dissertationem cum mihi contigit ut Frid. Gebhardi disputationem[3]) superiore anno, inspicerem editam quae ex amplissimo Demosthenis Aeschinisque orationum et Plutarchearum vitarum studio profecta et plerumque cum sobrio iudicio composita, quamquam non pauca nova me docuit, tamen ut a sententia mea etiam atque etiam considerata in universum discederem, non me adduxit. Qua in explicanda nunc, quae e verbis Plutarchi ipsis ad fontes adhibitos excutiendos repeti possint, disquirere in animo mihi est, atque sic agamus ut singula deinceps capita quam accuratissime perlustremus. De fontibus ipsis infra disputabimus.

Plutarchus c. 4 de parentibus, tutorum perfidia cognominibusque Demostheni ludibrio inditis exponit, c. 5 fabulam illam de Oropica causa narrat et de praeceptoribus oratoris ex Hermippo duas affert relationes. Qui haec duo capita paulo intentius perlegerit, fieri non poterit quin in Plutarchi verbis vehementer offendat. Idem enim Demosthenes, qui magistrorum mercedibus a tutoribus fraudatis *διὰ δὴ τοῦτο τῶν ἐμμελῶν καὶ προςηκόντων ἐλευθέρῳ παιδὶ μαθημάτων ἀπαίδευτος δοκεῖ γενέσθαι*, in c. 5 postquam Callistratum optimo cum eventu summaque civium admiratione loquentem audiit *ἐάσας τὰ λοιπὰ μαθήματα καὶ τὰς παιδικὰς διατριβὰς αὐτὸς αὑτὸν ἤσκει κτλ.* Qui duo loci, si in c. 4 *τὰ μαθήματα* omnia institutionis genera intelleguntur, ita comparati sunt, ut ad eandem originem redire nequeant. Dissensio, quae vix negari potest, ita expedienda mihi videtur, ut Plutarchus in fonte suo, quem ab initio c. 4 secutus est, nihil aliud invenisse existimetur nisi Demosthenem corporis imbecillitate gymnasia frequentitare prohibitum ceteris *μαθήμασιν* strenue deditum fuisse, Callistrati autem exemplo eloquentiae studio inflammatum reliquis disciplinis (c. 5 *ἀκούσας οὖν ὁ Δημοσθένης*

[1]) qu. D., IV, 49—56.

[2]) De Duride Samio Diodori Siculi et Plutarchi auctore. Dissert. inaug. Gotting. 1874. p. 35—49.

[3]) De Plutarchi in Demosthenis vita fontibus ac fide. Programma gymnasii Guilelmini Monacensis. Monachii 1880.

τῶν διδασκάλων κτλ) omissis totum oratoriae institutioni incubuisse. Quae explicatio Libanii, quem rhetorem e fonte Plutarcheo simillimo ac necessitudine quadam cum illo coniuncto hausisse viros doctos non effugit, verbis non parum comprobatur (p. 294, 29 sq. Westerm. Biogr.): *νέος ἦν μὲν, ὥς φασιν, ἀσθενὴς τῷ σώματι καὶ νοσώδης*[1]), *ὥστε μηδ' εἰς παλαίστραν φοιτῆσαι, καθάπερ πάντες οἱ τῶν Ἀθηναίων παῖδες εἰώθεσαν κτλ*, et v. 43 *ὥςτ' ἀπ' ἐκείνης τῆς ὥρας πάντα πάρεργα πρὸς τοὺς λόγους θέσθαι.* Cum hac sine dubio benevola relatione Plutarchus ex alio fonte aliam malevolam (cf. Dem. 18, 257) commiscuit, quae Demosthenem ea quae ingenuos pueros decebat eruditione tutorum fraude caruisse contendit, quam relationem aliunde in primarii auctoris narrationem illatam esse voce *δοκεῖ*, nisi fallor, satis perspicuum est (aliter Gebh., p. 28). Atque in c. 5 quoque duorum illorum auctorum dissensio apertissima extare mihi videtur: malevolo enim verba *ὥς τινες λέγουσι* (de quibus idem quod de *δοκεῖ* iudicandum est), *τὸν ὡρισμένον μισθὸν Ἰσοκράτει τελέσαι μὴ δυνάμενος, τὰς δέκα μνᾶς, διὰ τὴν ὀρφανίαν* optime convenire quis neget?

Similiter de c. 6—11 iudicandum esse et Gebhardum (p. 16) extremis c. 11 verbis (*ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων καίπερ ἔτι πλείω λέγειν ἔχοντες ἐνταῦθα παυσόμεθα κτλ*) deceptum uno tenore atque uno e fonte omnia ea scripta esse non recte statuisse nunc probaturus sum. In c. 6 init. Demosthenes cum epheborum aetatem ingressus tutelarem causam egisset, *τόλμαν πρὸς τὸ λέγειν καὶ συνήθειαν ἱκανὴν λαβὼν καὶ γευσάμενος τῆς περὶ τοὺς ἀγῶνας φιλοτιμίας καὶ δυνάμεως εἰς μέσον παριέναι καὶ τὰ κοινὰ πράττειν ἐπεχείρησε*, cf. quae paulo post leguntur: *οὕτως τῷ Δημ. συνέβη — ἐκ τούτου κτησαμένῳ δεινότητα καὶ δύναμιν ἐν τοῖς πολιτικοῖς ἀγῶσιν — πρωτεύειν.* Quibus verbis nihil aliud quam sequentium capitum argumentum quam brevissime adumbrari mihi videtur cll. in eodem capite: *δι' ἀήθειαν; δι' ἀθυμίαν; ὑπ' ἀτολμίας.* Postquam enim (cpp. 6—11), quibus remediis corporis vitia sanaverit quibusque exercitationibus suam creaverit eloquentiam, Plutarchus accuratius exposuit, in c. 12 his pergit: *ὥρμησε μὲν οὖν ἐπὶ τὸ πράττειν τὰ κοινὰ τοῦ Φωκικοῦ πολέμου συνεστῶτος κτλ*, quibus ad illa c. 6 aperte reducimur.

[1]) De corporis imbecillitate aliunde nihil constat, nisi Aeschinis verba 3, 255 causa fuerunt.

Quod ad cpp. 6—10 ipsa attinet, ad unam eandemque originem redeunt atque primum de asperitate Demosthenis orationis et de tribus corporis vitiis exponitur[1]), quae sic significantur: φωνῆς ἀσθένεια, γλώσσης ἀσάφεια, πνεύματος κολοβότης. Deinde narratiuncula de Eunomo ἀτολμίαν καὶ μαλακίαν illustrans affertur, in c. 7 de Satyri histrionis disciplina et de exercitationibus ad actionem excolendam institutis narratur, quibuscum c. 8 artissime coniunctum est, quo Demosthenem a natura nulla felici eloquentia praeditum sed amplissimis demum studiis summoque labore dicendi artem ita comparavisse docemur, ut nisi accuratissima meditatione instituta numquam ad populum loqueretur (cf. c. 7 φιλοπονώτατος, 8 φιλοπονεῖν).

Qui tamen factum sit, ut orationes eius summam spirarent audaciam, proximo capite (9) Periclis (cf. c. 6 fin.) exemplo illustratur, cuius πλάσμα et σχηματισμὸν Demosthenes ita imitatus esse dicitur ut orationes habitae plus animi ferociaeque haberent, quam scriptae, Eratosthene Demetrio Phalereo comicis poetis testibus. In c. 10 denique cum Demadis et Phocionis ex tempore fusa eloquentia comparatur. Optimo ordine, quem etiam in Plutarcheo fonte observatum fuisse statui debet, haec omnia sese excipiunt, contra in c. 11 vehementer offendimus, quo partim eadem attinguntur partim nova et ab ante dictis prorsus aliena explicantur. Demetrio enim Phalereo auctore, quibus rationibus corporis vitiis Demosthenes medicatus sit, exponitur: tria eadem vitia, quibus in c. 6 occurrimus, enumerantur. Quae annectuntur εἶναι — περαίνειν ad actionis studia pertinere, eadem fere quae in c. 7 legitur sententia facillime intellegitur: οὕτως ᾤετο μέγα πρὸς πίστιν εἶναι τὸν τόνον καὶ τὴν ὑπόκρισιν τῶν λεγόντων cf. c. 7: πεισθέντα δ' ὅσον ἐκ τῆς ὑποκρίσεως τῷ λόγῳ κόσμου καὶ χάριτος πρόςεστι κτλ. Iam haec ut auctorem a cpp. 6 et 7 diversum suspicemur, cogunt, quae suspicio sequentibus verbis confirmatur (omnia verba inde ab initio usque ad ὧν καὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεύς ἐστιν nescio an non recte Mueller fr. h. gr. II, p. 367 Demetrio vindicaverit): τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς ὑποκρινόμενος ἤρεσκε θαυμαστῶς, οἱ δὲ χαρίεντες ταπεινὸν ἡγοῦντο καὶ ἀγεννὲς αὐτοῦ τὸ πλάσμα καὶ μαλακὸν ὧν καὶ Δημ. ὁ Φαλ. ἐστιν, quae ab auctore c. 9 petita esse existimari, eodem e cuius sententia Demosthenes

[1]) Auctor Plutarchi de vitiis non plenius disseruisse videtur (ὡς ἔοικε).

τὸ πλάσμα καὶ τὸν σχηματισμὸν Periclis imitatus audientes incredibilem in modum perculisse dicitur, omni ratione caret. Idem sentio de Aesionis iudicio ex Hermippo desumpto, quod ut cum c. 9 verbis in eadem „stirpe" extitisse mihi persuadeam nullo modo fieri potest. Ad extremum mutato nomine ei, quae in c. 8 de Pythea fabula est, simillima de Chalco affertur[1]).

Quae si quis omnia consideraverit, quae alia explicatio ei restabit, nisi Plutarchum duorum fontium relationes in cpp. 6—11 ita coniunxisse ut c. 11 maximam partem aliam duxisse originem, aliam cpp. 6—10 etiam nunc dilucide appareat? Quas duas relationes ut recte distinguamus ac diiudicemus, verba modo laudata (τοῖς μὲν πολλοῖς — ἐστιν) optime inserviunt. Apertissime enim plebi alienum auctorem arguunt, qui quid Athenienses omni eruditione atque politioris vitae moribus imbuti de actione Demosthenis sensissent eodem fere modo, quo in c. 8 auctor optimatibus alienus eminet, magnopere curabat. Atque huic auctori iam semel occurrimus: idem, ni fallor, est cui Plutarchus notitiam illam c. 4, Demosthenem solita institutione caruisse, desumpsit, eundemque saepius infra agnoscemus. Longe autem maiorem partem Plutarchus ex priore Demostheni benevola ac populari relatione petivit, quae qualia tradiderit, e Libanii vitae priore parte facile perspicitur. Atque primum quidem Plutarchus et Libanius de parentibus oratoris eodem fere modo exponunt, de patre ingenuo cive (a Plutarcho Theopompus excitatur, a Libanio Aeschines III, 171), de gladiorum officina, de cognomine patris (Plut.: ἐπεκαλεῖτο δὲ μαχαιροποιός, ἐργαστήριον ἔχων μέγα καὶ δούλους τεχνίτας τοὺς τοῦτο πράττοντας. Lib.: ἐργαστήριον δ' οἰκετῶν μαχαιροποιῶν κεκτημένος ἐντεῦθεν τὴν τοῦ μαχαιροποιοῦ κλῆσιν ἔλαβεν), de matris barbara origine (in communi stirpe Aeschinis verba III, 172 legebantur). Deinde de Batalo nihil differunt nisi quod Plutarchus cognomen a pueris, Libanius a viris ei inditum esse affert. De Batali nominis significatione ad eandem originem spectant. Tum de Oropica causa, de Isaei disciplina, (Libanii verba Ἰσαίῳ μάλα δεινῷ ῥήτορι conferas cum Plutarchi εἴτε μᾶλλον τοῦ Ἰσαίου τὸν λόγον ὡς δραστήριον καὶ πανοῦργον ἐπὶ τὴν χρείαν ἀποδεχόμενος!), de causa tutelari simillime a duobus scriptoribus exponitur. Communem porro cum

[1]) cf. Liban. vit. 295, 78—81.

Plutarcho c. 6 rhetoricam officinam redolent Libanii haec verba: *μετὰ μέντοι τούτους τοὺς ἀγῶνας βραχὺ τῇ ἡλικίᾳ προελθὼν σοφιστεύειν ἐνεχείρησεν, εἶτ' ἀπαλλαγεὶς τούτου συνηγόρησεν ἐν δικαστηρίῳ, τούτοις δ' ὥσπερ γυμνασίοις χρησάμενος ἐπὶ τὸ δημαγωγεῖν καὶ τὰ τῆς πόλεως πράττειν ἦλθεν.*

Quae tum de corporis vitiis rhetoricisque studiis apud Libanium subsequuntur, quamquam plura aliam formam praebent, tamen quin ad eandem ad quam adhuc tractata redeant stirpem nihil dubitari potest. Priore parte absoluta Libanius qui tum, cum Demosthenes in publicis rebus versari ingrederetur, Graecarum rerum fuerit status explanare incipit, de qua parte, cum vita non integra ad nos venerit, nihil iudicare licet. Duarum igitur vitarum comparatio eo nos ducit, ut ei, quam inter Pseudo-Plutarcheas Photianasque intercedere supra comprobavisse mihi videor, rationi consimilis inter Plutarchi Libaniique vitas statuenda sit.

Nunc iam in Plutarchi vita examinanda pergens omnes praemonitos esse volo, Gebhardum sententiam eam mihi non probasse, qua cpp. 12—27 res domi militiaeque gestas, mores, quoad ad rem publicam pertinerent, ita describi existimavit, ut ex „stirpe", cui cpp. 5—11, 28—31 maximam partem deberi ei visa sunt quaque res publice gestae brevissime adumbratae essent, notitias quasdam transpositas esse appareret (p. 16). Diversitates enim quas doctus vir inter cpp. 5—11, 28—31 et cpp. 4, 12—27 statuit, praeter unam nullius momenti sunt. Summo autem iure Roesigerum impugnavit, qui Plutarchum fere omnia e fontibus suis exscripsisse, nihil fere e sua ipsius doctrina attulisse opinatus est, sed ardore verba Plutarchi, quantumcunque fieri potest, e Demosthenis Aeschinisque orationibus derivandi eo abreptus est, ut fere omnia ea cum historicorum rhetorumque relationibus a Plutarcho ipso composita esse persuadere nobis studeret. Quae igitur mihi de intricata hac quaestione a Gebhardo summa cum cura tractata videantur, nunc plenius expositurus sum. Plutarchus postquam de genere, institutione, oratoriis studiis Demosthenis ex uberrima materia c. 4—11 composuit, inde a c. 12, id quod solum ei principio propositum erat (c. 3), *ἀπὸ τῶν πράξεων καὶ τῆς πολιτείας* mores oratoris sese illustraturum esse ipse profitetur. Atque priusquam ad singulas res memoria imprimis dignas enarrandas transeat, in universum de rationibus a Demosthene in rebus publice gerendis adhibitis disserit

(c. 12—14). Nullam enim aliam vim verba c. 12 inde a *λαβὼν δὲ κτλ* habere in promptu est; optime illustrantur c. 18 et 16, cuius verba ab illis c. 12 quod Roesiger seiunxit, vehementer erravit (p. 41). Historicum nullum in cpp. 12 et 16 conscribendis in usum vocatum esse facile omnes concedent, qui c. 12 considerate inspexerint. Plutarchus enim nisi verba *ὃ καὶ μάλιστά μοι δοκεῖ δείσας — περιγενέσθαι* nihil de suo intulisse, reliqua omnia in fonte suo invenisse videtur, in quibus verba *ὡς — καὶ λαβεῖν ἔστιν ἀπὸ τῶν Φιλιππικῶν δημηγοριῶν — ἅπτονται* ad *πίνακα* quendam orationum referenda esse suspicor, eiusdem ni fallor scriptoris cuius doctrina in c. 15 dilucide eminet. Quae si probantur, quod hunc auctorem, qui de orationibus (15), de publicis rationibus (c. 12, 13 quod maximam partem eundem Demostheni faventem animum spirat), de insignissimis rebus (16—18) pleraque Plutarcho suppeditavit, eundem esse statuo, a quo cpp. 4—10, maximam quidem partem, desumpta sunt, non temerarius videbor[1]).

Transeo nunc ad eum Plutarcheae vitae locum accuratius tractandum, qui in diversum modum explicatus ad compositionem universae vitae recte intellegendam maximo auxilio est, extremam c. 13 partem dico et universum caput 14. Roesiger (p. 41) recte perspexit, quae Panaetii (e libro *περὶ καθήκοντος*. Gebh. p. 32 not.) dicto annectuntur, longe alium atque ea quae praecedunt animum spirare, aliumque auctorem, Demostheni malevolum, a Plutarcho adhibitum esse videri; erravit autem quam maxime, quod c. 14 verba *ἐπεὶ — παρῆλθε* convicio Demostheni dicta esse statuit, quae contra Plutarchi vitam privatam Demosthenis a conviciis defendentis esse Roesigeri censor[2]) et Gebhard[3]) in clara luce posuerunt. Dubium profecto non est, quin Plutarchus inde a verbis *ὡς εἴγε κτλ* ab eo, quem in c. 12, 13 et mea sententia in capp. 4—10 usurpaverat, auctore ad prorsus diversum deflexerit. Qualis hic fuerit, facile cognoscitur: Demosthenis cum Phocione comparati ignavum corruptelisque apertum animum detexit (c. 13 fin.: *ανδρεία*

[1]) Plutarchus, ut contra propositum suum de oratore Demosthene tam accurate ageret, eo haud dubie factum est, quod fontes, quos de rebus publice gestis consulere ei in animo erat, de oratoriis studiis aliisque eiusmodi rebus plenius exposuerant.

[2]) Philol. Anzeiger. VII, p. 126.

[3]) p. 7, 8, 32.

πολεμιστήριος καὶ τὸ καθαρῶς ἕκαστα πράττειν), quam omnino nihil cum verbis eius facta consentirent, acerbissime castigavit. Non plebis studiosum fuisse auctorem ex altera quoque eiusdem capitis parte, quam a priore Roesiger (p. 42) temere segregavit, apertissime elucet; equidem, Gebhardi[1]) artificiosa explicatione non probata, ex uno fonte eam fluxisse pro certo contendo. Non solum Theopompeum locum sed etiam iudicium (*φαίνεται κτλ*) et de Antiphonte ac Theoride narratiunculas Plutarcho idem fons suppeditavit (ceterum quae de Theoride afferuntur, neque ex Philochoro[2]) (Harpocr. s. v. *Θεωρὶς*) neque e [Dem.] c. Aristog. I, 79 petita sunt); deinde omnia eandem originem (*πρὸς τὰς ἐπιθυμίας τῶν πολλῶν ἐπιφνόμενος; σφόδρα ἀριστοκρατικὸν κτλ*), a c. 8 diversam, apertissime arguunt (Gebhard p. 33). Quodsi meminerimus per capp. 4—11 duas nos supra distinxisse relationes, priorem plebi faventem ac Demostheni benevolam, alteram ab optimatium partibus stantem ac Demostheni malevolam, ne paulum quidem dubitabimus, extremam c. 13 partem totumque c. 14 alteri illi auctori tribuere. Accedit quod non solum in c. 11, sed etiam in c. 14 Demetrii Phalerei[3]) Macedonum sectatoris nomen luculentissime extat. Quousque vero Demetrii verba pertineant, difficile dictu est; sed, etiamsi verba *ουδὲ πρὸς τὸ λαμβάνειν κτλ* non iam Demetrii sint[4]), tamen non a Plutarcho ex Aesch. III, 173 conficta sed e fonte transcripta sunt, cf. Diod. XVII, 4. Haec quidem hactenus. Plutarchus igitur in fine c. 13 et in c. 14 ad eum, quem primum c. 4, deinde c. 11 adhibuerat fontem rediit, quo tertium valere iusso e priore relatione Demosthenis res inde a c. 16 enarrare perrexit, de quibus infra dicemus. Sed miro quodam modo malevolum illum auctorem, quo tandem eum abdicavisse expectabamus, quartum consuluit eumque per c. 20—26 in usum vocavit. Argumenta, quibus sententiam hanc a Gebhardo valde dissidentem proferre cogor, plenius nunc explicaturus sum.

Qui c. 14 verba memoria tenens c. 20, 23—26 diligentur per-

[1]) p. 33.

[2]) Aliter Haug, Die Quellen Plutarchs etc. Tüb. 1854. p. 77.

[3]) Virum doctum Ph. A. p. 125 et Gebhardum p. 7, 8 de Demetrio (14) recte statuisse nunc video. cf. Haug, l. l. p. 75.

[4]) Verbis *τῷ δ' ἄνωθεν — καταχεκλυσμένος* nulla res est cum c. 12 (*ὥςτε θεραπεύεσθαι κτλ*). Aliter Gebhard, p. 8; 32.

lustrabit, fieri non poterit quin iudicia illa de ignavo et ad munerum corruptelas propenso Demosthenis animo in universum pronuntiata famosis exemplis eisdemque fere verbis comprobata inveniat. Quam rem e Plutarchi ingenio explicare minime licet; primum enim illa c. 14 iudicia a scriptore quodam petita esse supra vidimus, deinde Plutarchus suam ipsius sententiam illis diserte opponit (*ἐπεὶ γε κτλ*). Quod vero Plutarchus eum, cuius relationem ante reprobaverat, denuo adire non veritus est, ne quis nostrae sententiae argumentum opponat, non timeo. Ea sine dubio Plutarcho commodior visa est relatio, quae, orationibus historicorumque libris nisa, ad vitam moresque Demosthenis illustrandos quam maxime idoneam suppeditavit materiam. Atque indicia malevoli illius auctoris haec inveniuntur. In c. 20 Demosthenes, alacritate Graecorum elatus atque summa victoriae spe impletus, Thebanos Epaminondae Athenienses Periclis exemplo, ne oraculis vaticiniisque nimium crederent, monuisse (*μέχρι μὲν οὖν τούτων ἀνὴρ ἦν ἀγαθὸς*, quibus verbis Plutarchus Demosthenem excusare voluisse (Gebh. p. 45) minime putandus est), in pugna autem ipsa nihil cum verbis suis convenienter egisse, sed turpissime fugisse narratur (cf. c. 14: *ἐπαινέσαι μὲν ἱκανώτατος ἦν τὰ τῶν προγόνων καλὰ, μιμήσασθαι δὲ οὐχ ὅμοιος*, et *οὐκ ὢν ἐν τοῖς ὅπλοις ἀξιόπιστος*). Aliud argumentum iis continetur, quae de Demosthene Persarum pecuniis corrupto afferuntur (= c. 14: *τῷ δ' ἄνωθεν ἐκ Σούσων καὶ Ἐκβατάνων ἐπιβατὸς χρυσίῳ γεγονὼς καὶ κατακεκλυσμένος*, cf. Diod. XVII, 4). In c. 23 haec notanda sunt verba: *αἱ δὲ πόλεις πάλιν τοῦ Δημοσθένους ἀναρριπίζοντος αὐτὰς συνίσταντο κτλ. καὶ τὸ βῆμα κατεῖχεν ὁ Δημοσθένης κτλ. Θηβαῖοι δὲ προδοθέντες ὑπ' ἐκείνων κτλ. (Δημ.) δείσας δὲ τὴν ὀργὴν κτλ.* cll. Diod. XVII, 4. Prorsus eodem colore in c. 24 haec leguntur: *ταπεινὰ δ' ἔπραττεν ὁ Δημ. κτλ. βραχέα συνεκινήθη πάλιν, εἶτ' ἔπτηξε.* Sequitur Harpalicae causae narrratio, cuius cf. c. 25 *ἦν δ' ἄρα δεινὸς ὁ Ἅρπαλος ἐρωτικοῦ πρὸς χρυσίον ἀνδρὸς ὄψει καὶ διαχύσει καὶ βολαῖς ὀμμάτων ἀνευρεῖν τὸ ἦθος κτλ*, e quibus haec imprimis respicienda sunt: *οἱ δ' εὐφυεῖς χλευάζοντες οὐχ ὑπὸ συνάγχης ἔφραζον, ἀλλ' ὑπ' ἀργυράγχης εἰλῆφθαι νύκτωρ τὸν δημαγωγὸν*, quae utri parti auctor faveat, clarissime ostendunt. Quis enim haec verba secum reputans illas c. 11 voces non statim meminerit, de quibus supra (p. 46) diximus? *τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς ὑποκρινόμενος ἤρεσκε θαυμαστῶς, οἱ*

δὲ χαρίεντες ταπεινὸν καὶ ἀγεννὲς αὐτοῦ τὸ πλάσμα καὶ μαλακὸν κτλ. — In c. 27 fabula ea, quae simillima forma in Pseudo-Plutarchi Aeschinis vita 845 e de adversario Demosthenis extat, sed sine dubio Demostheni priori adhaesit, a relatione illa iam penitus nota non abhorret, ne de exilii narratione et apophthegmate Demosthenis verba faciam. Ultra c. 26 vestigia auctoris illius non patent, immo cpp. 27 sq. aliam originem duxisse verborum tenor, ni fallor, ipse luculentissime ostendit. Cpp. 21 et 22 maximam quidem partem a Plutarcho ipso ex Demosthenis Aeschinisque in Ctesiphontea causa scriptarum orationum studio composita esse videri Gebhardo (p. 46—48, 50) libentissime concedo; c. 24 alteram partem eidem cui c. 15 deberi relationi cll. PsPlut. 840 c. verisimillimum est.

Plutarchus igitur c. 26 auctorem in Demosthenis vitam convicia undecunque congerentem dimisit, ut ultimas oratoris res ex eo, quo potissimum duce de pueritia, de eruditione, orationibus, publicis rationibus disseruerat, fonte accuratius exponeret. Atque hunc auctorem res publice a Demosthene gestas minime neglexisse, cpp. 16—18 documento sunt quae quod diversis assignavit auctoribus Roesiger (p. 41) non leviter erravit. Gebhard, qui (p. 36—43) minutissima cura singula quaeque ad Demosthenis Aeschinisque orationes examinavit, c. 12 verbis collatis certum quendam scriptorem a Plutarcho in c. 17 conscribendo adhibitum esse recte statuit, sed consensui Plutarchi cum orationum verbis, imprimis Demosthenis (XVIII, 79—87, 87—94, 244, 237) nimium tribuit. Tenendum est, tribus cpp. 16—18 praecipuas res ante Chaeronensem pugnam gestas comprehendi ut, quam *ἀξίως* Graecorum salutem a Philippo rege defenderit Demosthenes, quam clarissimis exemplis illustretur, quae si a Demosthene ipso quoque ac simillimis verbis commemoratae inveniuntur cavendum est ne omnia Plutarchi verba e Demosthene mere composita existimentur. Eum scriptorem, qui de oratoria eruditione tam uberem materiam conquisiverat, Demostheni utique faventem in praeclarissimis eius rebus enarrandis ad verba eius ipsius recurrisse consentaneum est; an solus Plutarchus ad describendam societatem Graecorum praeter Thebanos omnium Demosthenis opera a. 340 ineunte tandem perfectam eum locum, quo orator ipse Graecas civitates ante Chaeronensem pugnam foederis illius participes (de cor. 237) enumeravit, adhibuisse censendus est?

Memoratu autem dignissimum scriptori illi visum est, Demosthenem Thebanos quoque et Philippi beneficiis devinctos et Atheniensibus ad id temporis infestissimos societate conciliavisse (*ὁ μέγιστος ὑπελείπετο — ἀγώνων*), quod qui factum sit, c. 18 historici cuiusdam ut videtur libro adhibito copiosius demonstratur (cf. Diod. XVI, 84, 85). De singulis quae hoc capite continenter rebus disputare supersedeo; hoc unum notavisse satis habeo, inter verba c. 17 extr.: *ἦν δ' οὐ ῥάδιον — μεταστῆσαι τοὺς Θηβαίους* et c. 18 med.: *τὸ μὲν οὖν συμφέρον κτλ* nullam statuendam esse repugnantiam (*χάριν* vox haud dubie ad c. 17 *ἐπὶ προςφάτοις — Φιλίππου* referenda est). Aliter Gebh. p. 41. C. 19, de quo Gebhard doctissime disputavit (p. 43—45), prima et extrema partes ex historici cuiusdam libro haustae sunt, cuius vestigia etiam in c. 20 dilucide eminent. Duridis modo alterum oraculum esse Gebh. idem recte intellexit (p. 45. not). Eidem stirpi, ut Gebhardi appellatione utar, cui cpp. 4—10, 12, 13 maximam partem, 15—18 debentur, haud dubie cpp. 27—31 adscribenda sunt. Nihil auctoris Demosthenis mores acerbissime proscindentis proprium in iis animadverti potest, contra et Hermippi, Demetrii Magnetis, Aristonis, Pappi (Hermippi), Eratosthenis, Democharis nec non Phylarchi commemorationes cum Pseudo-Plutarchi vita 286, 145—287, 173 West. collatae et Demosthenis non obscura admiratio priorem Plutarchi auctorem in mentem nobis certissime revocant, cuius de fontibus, quantum cum aliqua probabilitate statui potest, infra disputabimus.

Hic in Plutarchi vitae compositione indaganda subsisto; hoc unum mihi propositum erat, verba Plutarchi ipsa quam accuratissime perquisivisse, id quod in huiusce modi quaestionibus non ita paucis cum magno dolore desideratur. Effecisse mihi videor, duas per Plutarchi vitam internoscendas esse relationes, cuius priori cpp. 4—10, 12, 13, 15—18, 27—31 tribuenda censeo, altera, quamquam in c. 4 (5) nonnulla iam dispersa vestigia inveniuntur, tamen inde a c. 11 demum in ampliorem usum a Plutarcho adhibita ita est, ut c. 13 extr. partem, 14, 19, 20, 23—26 ex ea haurire non vereretur.

Reliquum est, ut in Zosimi et Anonymi vitas, denique in Suidae tres de Demosthene particulas diligentius quam adhuc factum est inquiramus. Quae, quamquam cognitionem Demosthenis eiusque aetatis ex aliis fontibus petitam non multum augent, multa pravissima continent, tamen non omnino neglegendae sunt.

Westermann[1]) satis habuit, nova et inepta quae in his insunt enumeravisse; de fontibus nihil statuit nisi Zosimi et Anonymi vitas ex orationibus Demosthenis Aeschinisque, praeterea ex Plutarchea aliisque vitis congestas esse, Suidae c. 3 ex Anonymi vita excerptum videri. Quam sententiam Roesiger ita correxit, ut Zosimi Anonymi Suidae vitas ex una eademque epitoma deduceret. Blass[2]) ex trium illorum scriptorum vitis nullam ab alia pendere, Suidae tertiam particulam ex Anonymi exemplari excerptam esse in transcursu adnotavit. Quae quamquam a Roesigero et Blassio in universum recte iudicata sunt, tamen accuratius vitas illas perquirere non alienum est. Atque profecto, si quis Anonymi vitam Suidaeque tertiam particulam obiter comparaverit, aliam ex alia mere descriptam esse facile suspicabitur: ita prorsus eodem ordine ab alio copiosius ab alio brevius eadem exponuntur; attamen discrepantiae non ita paucae a sententia illa discedere cogunt. Sunt enim eiusmodi apud Suidam: v. 45 (West. Biogr.) *ὥςτε φασὶν ἑαυτὸν οἴκοι καθείρξαντα ἑαυτοῦ ξυρῆσαι τῆς κεφαλῆς μέρος* (Anon. p. 304, 46—49). Deinde Suidas de captivis a Demosthene redemptis, de filiis ab eo dotatis v. 55 aliunde haud dubie hausit (Anon. 305, 90). Tum Graecorum Chaeronensi pugna captorum alius a Suida v. 63 numerus indicatur (nisi corruptela subest), alius ab Anonymo 307, 135. Tum Archias a Suida v. 73 appellatur *ὑποκριτής*, ab Anonymo *ὑπασπιστής* 308, 169. Gravissimum vero discrimen in vitiis Demostheni insitis enumerandis apparet: ab Anonymo 305, 66 tria diserte afferuntur, cum Suidas quatuor vitiis Demosthenem laborasse exponat quorum tria, quamquam ab illis ab Anonymo prolatis non dissident, tamen non ex eo translata sunt, quartum novum haud dubie diversam originem prae se fert, v. 51 sq.: *τραυλὸς δ' ὢν καὶ τὸν ὦμον ἀπρεπῶς ἐκίνει, καὶ τὴν ἀκοὴν ἀσθενὴς καὶ τὸ πνεῦμα οὐ διαρκής*, quae dissensio ne communi quidem exemplo Suidam et Anonymum usos esse luculentissime ostendit. Quam ad sententiam confirmandam Zosimi Ascalonitae vita cum Anonymi Suidaeque vitis comparata accedit. Atque hoc primum notandum est, Suidam in iis, quae ab Anonymi relatione discrepare modo significavi, cum Zosimo consentire. Zosimus nihil affert de conclavi subterraneo, sed iisdem

---

[1]) qu. D. IV, p. 88—92.
[2]) l. c. III, 1, p. 5, not. 3.

fere verbis quibus Suidas utitur, p. 300, 87 sq. *καὶ γὰρ αυτόν φασιν ὅπως μὴ προίοι δι' αἰσχύνην οἴκαδε συνείρξαντα ἑαυτὸν ἀσκεῖσθαι* (Suidas v. 45 sq.: *ὥστε φασιν — ἵνα μήτε προίοι κτλ*), qui autem idem Suidas cum Anonymo contra Zosimum facit his verbis v. 46: *ξυρῆσαι τῆς κεφαλῆς μέρος* (Zos. 300, 87 *ξυρῶντά ποτε τοῦ πώγωνος τὸ ἥμισυ*). Praeterea Zosimus Suida excepto solus de filiis a Demosthene dotatis captivisque solutis verba facit (300, 106 sq.). Deinde eadem quae apud Suidam vitia et iisdem fere verbis apud Zosimum leguntur p. 299, 61—65. Ad extremum et a Zosimo et a Suida Archias *ὑποκριτής* appellatur. Auctor igitur a Suida (III) exscriptus Anonymo simillimus, sed necessitudine quadam cum Zosimo coniunctus erat. Quam ad accuratius definiendam Zosimi Anonymi Suidae vitae nunc inter se comparandae sunt. De genere oratoris Zosimus et Anonymus pleraque e Demosthenis Aeschinisque orationibus petita praebent; Anonymus nimio quodam fervore per totam vitam maculas quaslibet a parentibus et ab oratore ipso abluere studet. De educatione, quamquam in universum consentiunt, tamen non eodem utuntur fundamento. Zosimo auctore Demosthenes, quamquam ne *τὰ τῶν παίδων* ageret tutores prohibebant, tamen nihilominus Platoni operam dedit, sed a Callistrato ad eloquentiae studium incitatus Isaei disciplina usus est. Anonymus nihil de Platone commemorat, nihil de Callistrato, neque magis Suidas, cuius auctorem cum Anonymo artissime coniunctum esse inde facile apparet. Sed tamen eundem colorem Zosimus et Anonymus exhibent, alius leviorem alius uberiorem (Zos. 289, 26 sq., 38. An. 303, 33—36). Qualis vero ratio inter Anonymum et Suidam (III) intercedat, eo apertissime cognoscitur, quod ab utroque tutelari causae narratio de conclavi subterraneo et de capitis parte tonsa praemittitur, cum Zosimus non solum alio loco de his rebus agat, sed etiam Demosthenem (p. 300, 85) *ἀνδρῶν ἄγοντα ἡλικίαν* barbae dimidiam partem totondisse disertis doceat verbis. Reliquae vitae fere omnes (de Libanio nihil certi constat) capillorum partem vel aliquam vel dimidiam eum totondisse consentiunt; quod ad aetatem attinet, Anonymus et Suidas a PsPlutarcho 282, 31 (*λέγουσι δ' αὐτὸν ἔτι νέον ὄντα κτλ*) contra Zosimum stant. De tutelari causa Zosimus et Anonymus clementiam Demosthenis erga tutores eodem modo praedicant, neque minus de Demosthene logographo, sophista, reipublicae rectore eandem cum

Suida rhetoricam traditionem sequuntur, quam Libanio quoque notam fuisse supra vidimus. Sed ex alio fonte Zosimum ex aliis Anonymum et Suidam traditionem illam hausisse non solum ordo apud Zosimum mutatus sed etiam discrepantiae nonnullae satis liquido comprobant. Eundem enim vitiorum numerum a Zosimo Suidaque tradi iam dixi; hic addo, ordinem eorum apud Suidam et Anonymum eundem esse. De exercitationibus singula quaeque comparare non opus est, Zosimum et Anonymum non eodem exemplari niti abunde iam demonstratum est. Sed non praetermittendum est, quod a Zosimo p. 300, 80 gladium, ab Anonymo 305, 74 hastam Demosthenes e tecto pependisse narratur. Quod discrimen non fortuitum sed in traditionum diversitate positum esse a PsPlutarcho 282, 35 docemur: *παραρτήσαντα ὀβέλισκον ἢ ὥς τινες ξιφίδιον ἐκ τῆς ὀροφῆς.* De Harpalica causa, etsi nihil contrarium afferunt, tamen non eundem auctorem Zosimus et Anonymus sequuntur. Zosimus Demosthenem in Aeginam, Anonymus Suidasque Troezenem sese contulisse dissentientes tradunt: cfr. Plut. vit. 26 *ἐν Αἰγίνῃ καὶ Τροιζῆνι καθήμενος.* Ad extremum — ut taceam de ineptissimis rebus, (e. gr. Zosimo auctore statua in Ceramico 302, 143, Anonymo 308, 177 Suida 310, 143 auctoribus in foro posita est) — de mortis ratione a tribus scriptoribus eundem in modum exposita pauca verba facienda sunt. Exhibent enim eam relationem, quam PsPlut. 287, 172 auctoris nomine non apposito his commemorat verbis: *οἱ δ' εἶπον τοῦ κατὰ τὴν σφαγῖδα φαρμάκου γευσάμενον,* sed ita ut Zosimus et Anonymus pleniorem servaverint formam (Zos. 302, 140; An. 308, 173 sq.), a Suida exemplar quam brevissime excerptum esse in propatulo sit, de quo scriptorum consensu iterum dicendi infra locus nobis dabitur. Atque hanc necessitudinem inter vitas eorum intercedere apparet, ut Anonymi et Suidae (III) auctores artiore vinculo coniunctos fuisse, Zosimi vero, quamquam in universum ad Suidae fontem propius accedit, tamen maiore spatio pluribusque gradibus a duobus illis abesse aliusque familiae censendum esse pro certo habendum sit. De prima et secunda Suidae particulis hoc unum notandum est, mortem Demosthenis ex eadem traditione, e qua ab Anonymo et Zosimo, descriptam esse.

Hac de vitarum compositione parte absoluta nunc, ad quos potissimum auctores illae redire videantur, diligentius inquirendum est; quae quaestio ut recte instituatur vitas non a scriptoribus suis ipsis

e varii generis materia confictas, sed ex aliis vitis si non totas at maximas partes compositas esse effecisse nos moneo. Quod vero omnes, Plutarchi atque Libanii, PsPlutarchi atque Photii, Zosimi Anonymi Suidae vitas tam diversis temporibus compositas una disputatione complector, offendere nequit cum ex iisdem litterariis studiis quasi e communi agro profectas eas esse perspicuum sit, quem nunc accuratius inspicere necesse est.

Vitis clarorum virorum a Peripateticis primis magnam curam impensam esse notum est, cuius apertissima vestigia in nostris quoque vitis facile apparent. Quae studia, ad mores magis virorum illustrandos spectantia, ab Alexandrinis Pergamenisque philologis iisque qui e disciplinis eorum prodierunt, aucta atque amplificata sunt et ita biographi sese exceperunt, ut a superioribus tradita partim retinerent partim mutarent partim novis augerent. Ita factum est, ut apud scriptores longis temporum spatiis remotos primarii fontes nunc quoque clare eluceant, quos ipsos in usum vocatos esse nullo modo statuendum est; quam quaestionem de Diogenis Laertii fontibus Nietzsche[1]) doctissime, quamquam non satis feliciter, instituit.

Neque aliter de Demosthenis vitis iudicandum mihi videtur, quae e biographicis illis studiis profectae variis posteriorum scriptorum, in iis rhetorum, additamentis auctae eam quam nunc exhibent formam induerunt. Restat igitur, ut, quoad fieri possit, eorum qui et ex vitis ipsis et aliunde noti vitarum scriptoribus uberrimam materiam suppeditaverunt vestigia indagentur, qua in re ne coniecturis firmo fundamento carentibus locus detur quam maxime cavendum est. Atque trium scriptorum, qui ut locupletissimi fontes a vitarum scriptoribus imprimis adeundi erant in vitis Demosthenis vestigia inveniuntur, quae nunc quam cautissime examinare mihi propositum est.

E Satyri libro *βίοι τῶν ἐνδόξων ἀνδρῶν* (Mueller fr. h. gr. III, p. 159—166) inscripto de Demosthene hanc nobis servavit PsPlutarchus notitiam (287, 68 sq.): *Σάτυρος δ' ὁ συγγραφεὺς (φησὶ) τὸν κάλαμον πεφαρμάχθαι ᾧ γράφειν ἤρξατο τὴν ἐπιστολὴν οὗ γευσάμενον ἀποθανεῖν,* qua comparata Roesiger Plutarchi c. 29 narrationem ad Satyrum Peripateticum redire videri cum magna

[1]) In mus. Rhenan. vol. XXIII, p. 632—653; XXIV, p. 181—228.

probabilitate statuit. Cum nihil praeterea e Satyri amplissimo opere de Demosthene fortunae iniquitate nobis servatum sit, quantum Plutarchus ab illo pendeat definire non audeo (Gebh., 20—23). Aristonem Ceum ipsum quoque Peripateticum a Plutarcho narrationis illius testis loco afferri (c. 30), Gebhard p. 20 non recte opinatus est.

Certiora de Hermippo Smyrnaeo[1]) statuere licet, cuius *βίοι* ab omnibus, qui in vitis virorum quovis in genere excellentium illustrandis versati sunt, libentissime compilati sunt. Ex amplissimi Callimacho auctore instituti operis ea quae oratorum vitas, plerasque diligenter enarratas, continebat, parte novem fragmenta ad Demosthenis vitam pertinentia servata sunt, quorum quatuor de praeceptoribus agunt atque duo quidem de Isaeo, quae nunc primo loco percenseamus. Prius apud Harpocrationem est (Dindorf, p. 162) s. v. *Ἰσαῖος: εἷς μέν ἐστι τῶν δέκα ῥητόρων, μαθητὴς δὲ Ἰσοκράτους, διδάσκαλος δὲ Δημοσθένους, Ἀθηναῖος τὸ γένος καθά φησιν Ἕρμιππος ἐν β' περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν. Δημήτριος δ' ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν Χαλκιδέα φησιν αὐτὸν εἶναι.* Suidas eadem affert verbis *καθά φησιν — μαθητῶν* omissis, addit vero: *οὗτος ἐπαινεῖται καὶ ὡς ῥήτωρ καὶ ὡς Δημοσθένην ἀμισθὶ προαγαγὼν*[2]). Accedit tertius Dionysius Halicarnassenis (de Is. iud. 1): *οὐδὲ γὰρ ὁ τοὺς Ἰσοκράτους μαθητὰς ἀναγράψας Ἕρμιππος, ἀκριβὴς ἐν τοῖς ἄλλοις γενόμενος, ὑπὲρ τοῦδε τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εἴρηκεν ἔξω δυοῖν τούτοιν, ὅτι διήκουσε μὲν Ἰσοκράτους, καθηγήσατο δὲ Δημοσθένους, συνεγένετο δὲ τοῖς ἀρίστοις τῶν φιλοσόφων,* quae verba nullo modo ita premenda sunt, ut cum Harpocr. collata Dionysio levitatem quandam crimini dare videantur. De patria enim Isaei Dionysius paulo ante ipse iam exposuit *ὡς μέν τινες ἱστοροῦσιν Ἀθηναῖος τὸ γένος, ὡς δ' ἕτεροι γράφουσι Χαλκιδεὺς,* quibus verbis haud dubie Hermippi Demetriique discrepantiam intellegi vult. Quae si quis prudenter consideraverit, quin Suidae novissimis verbis *οὗτος ἐπαινεῖται καὶ ὡς ῥήτωρ καὶ ὡς Δημοσθένην ἀμισθὶ προαγαγὼν* cum Hermippo

[1]) Hermippi Smyrnaei Peripatetici fr. coll. disp. et ill. A. Lozynski. Bonnae 1832.

[2]) Demetrium a Suida commemoratum (*Δημήτριος δὲ — φησίν*) non Phalereum, sed Magnetem esse moneo propter Westerm. Biogr., p. 471, et vir doct. in Phil. Anz., VII, p. 124; cf. Volkmannum, De Suidae biographicis qu. nov. (Numburgi 1873), p. 13 et Gebh., p. 12.

nulla res sit[1]), nihil iam dubitabit. Demetrio autem ea cum Roesigero (p. 38) tribuendi nulla probabilior causa proferri potest, contra Suidae rationem omnino reputanti et Dionysii PsPlutarchique vitas comparanti mihi constat, nihil aliud ad Demetrium pertinere quam dissensionem illam ab Hermippi sententia[2]). Roesigerum, cum non solum illa Suidae verba, sed etiam Plutarchi (c. 5) relationem *εἴτε ὥς τινες λέγουσι τὸν ὡρισμένον μισθὸν Ἰσοκράτει τελέσαι μὴ δυνάμενος, τὰς δέκα μνᾶς, διὰ τὴν ὀρφανίαν* Demetrio tribuit, magnopere erravisse infra patebit. Hermippeam illam de Isaeo Demosthenis praeceptore relationem plerosque secutos esse PsPlutarchus nos edocet, 281, 5 *ὡς δ' οἱ πλεῖστοι (ἔφασαν) Ἰσαίῳ κτλ* neque aliam vitae nostrae tradunt. Perpauci Isocrati Demosthenis oratoriam institutionem vindicaverunt, eodem Plutarcho teste: *σχολάσας Ἰσοκράτει ὥς τινες ἔφασαν;* de Hegesia Magnete, quo auctore Demosthenes et Isocratis et Isaei disciplinis usus est (!), infra disputabimus. Sed Isocrateae artis prorsus expertem Demosthenem fuisse idem Hermippus negavit Ctesibio auctore, qui in libro *περὶ φιλοσοφίας* inscripto Isocratis aliorumque rhetorum artes eum diligenter pertractavisse narraverat (Plut. c. 5). Ad eundem Hermippum redire, quae PsPlutarchus 281, 17 sq. et Suidas (I) v. 9 sq. (West.) alius alium supplens de eadem re praebent, verisimillimum est[3]).

Ex eodem Plutarchi (5) capite discimus, Hermippum in anonymis commentariis scriptum invenisse de Platone Demosthenis praeceptore. Quod idem a Suida (I), Zosimo 289, 38 sq., PsPlutarcho 281, 7 testificatur, qui cum Thucydidem eum aemulatum esse addit, cum Zosimo 298, 45 unam eandemque ac mea quidem sententia Hermippeam traditionem sequitur. Quodsi PsPlutarcheum locum iam saepius adhibitum (281, 5—8) universum contemplamur, sic iudicandum mihi videtur, maximam partem eum Hermippi vestigiis insistere, sed in eam quam nunc exhibet formam a scriptore Demetrio non superiore redactum esse, nisi, id quod mihi videtur,

[1]) Aliter Gebh., p. 12.

[2]) Quae verba supra iam scripseram, cum vir doct. l. l. p. 124 et Gebhardum p. 12 idem iudicavisse intellexi. cf. Daub, De Suidae biographicorum origine et fide, in Fleckeis. annal. tom. suppl. 1880, p. 473.

[3]) A. Schaefer, „Zu den Fragmenten des Hermipp" in Philol. tom. VI, p. 427—430.

verba a Demetrio ipso ex Hermippi libro recepta et in suam sententiam mutata in archetypum PsPlutarcheae vitae venerunt.

Platonem Demosthenis praeceptorem fuisse in alio quoque fragmento, quod ad nostram quaestionem summi ponderis est, commemoratum invenimus. Est notissimum illud a Gellio N. A. III, 13 servatum, cui, quamquam non constat quam accurate graeca verba reddiderit, tamen ut unico testi fides non abroganda est[1]). Tria ab Hermippo docemur, Demosthenem admodum adulescentem Platonem audire solitum esse, sed Callistrati oratione in Oropica causa habita a philosophia ad eloquentiae studium deflexisse et Callistratum ipsum sectari coepisse. Quae narratiuncula temporum rationibus non repugnans[2]) apud neminem biographorum eadem qua apud Gellium legitur forma extat. Proxime Zosimus accedit, qui 298, 38 sq. Demosthenem Platoni operam dedisse, Callistrati autem exemplo perculsum eloquentiae sese dedisse unus omnium refert, sed nihil de causa Oropica, nihil de Demosthene Callistrati sectatore commemorat. Erravit vero Lozynski (p. 43, 117) quod Plutarchum in c. 5 cum Gelliano loco collato Hermippi vitam ob oculos habuisse existimavit, quam sententiam Car. Mueller (fr. h. gr. III, 50) recepit, Haug[3]) cupide arripuit, Scheurleer[4]) et Gebhard (p. 11) probaverunt, quorum hic Plutarchum Hermippi vestigiis ita institisse opinatus est, ut aut eius sententiam comprobaret aut alius scriptoris apud Hermippum allatam relationem probabiliorem ac commodiorem esse putaret. Quod minime mihi probavit. Primum enim si fabula illa de Oropica causa a Plutarcho (5) tradita scriptoris cuisdam ab Hermippo citati esset, significatio iis quae in eodem capite subsequuntur (*Ἑρμ. δέ φησιν ἀδεσπότοις ὑπομνήμασιν ἐντυχεῖν, ἐν οἷς ἐγέγραπτο; Κτησιβίου μέμνηται λέγοντος κτλ*) similis omnino desideraretur, deinde quae Hermippi ipsius fuerit sententia

---

[1]) Hermippeum hunc locum cum superiore arte coniunctum exstitisse, e Gellianis verbis etiam nunc perspicitur. Ea enim quae Gellius Hermippi ipsius sententiae directa oratione (Atque is, inquit, e. q. s.) expressae praemisit verba: „Hermippus hoc scriptum reliquit e. q. s.“ — quamquam „scriptum reliquit“ non ita ut Gebhardo videtur (p. 11) interpretanda sunt — superiori illi alius auctoris ab Hermippo commemoratae relationi optime respondent.

[2]) Schaefer, D. u. s. Z., I, 97, 276.

[3]) l. l. p. 75.

[4]) De Demetrio Magnete disput. philol. Lugdun. Batav. 1858. p. 64.

a Gellio aperte docemur. Omnino nulla Plutarcheae narrationi cum Hermippea traditione res est, sed aliam haud dubie originem habet, quam ad accuratius cognoscendam PsPlutarcheam vitam adhibeamus necesse est. Huius enim auctor de praeceptoribus Demosthenis quatuor affert relationes atque tertio loco Hegesiae Magnetis, cuius nomen a Ruhnkenio[1]) et Westermanno[2]) nullo iure, immo contra omnem probabilitatem in Demetrii Magnetis mutatum esse Lozynski[3]), Droysen[4]), A. Schaefer[5]), Blass[6]), Gebhard[7]) rectissime intellexerunt; quousque vero Hegesiae verba pertineant, minus constare videtur, quamquam quin omnia verba usque ad *ὡς δὲ Κτησίβιος κτλ* Hegesiae sint, non dubitandum est[8]). Hegesiam in gravissimis rebus ab Hermippo dissidere manifestum est: Oropica causa in iudicio peracta nihil commemoratur, sed in contione quadam Callistratum a Demosthene auditum esse exponit; quod Demosthenem Callistrato operam dedisse diserte affirmat, sine dubio eandem quam Hermippus traditionem sequitur, dissentit vero quam vehementissime cum Demosthenem Callistrati sectatorem fuisse (usque ad annum 361 (?), si quidem hoc anno Callistratum in exilium abiisse Hegesiae constabat) et ex epheborum aetate egressum[9]) Isocratis Platonis Isaei disciplinis usum esse pro certo statuere non dubitat.

---

[1]) Rutilius Lupus, p. 27.

[2]) Biogr. 281, 8. Scheurleer quoque (p. 64) et Roesiger Ruhnkenii opinionem adoptaverunt.

[3]) p. 117.

[4]) In Mus. Rhenan., IV, p. 428.

[5]) D. u. s. Z., I, 276.

[6]) Demosthenes, p. 12, not. 3.

[7]) p. 10. Etiam anonymus ille in Phil. Anz., VII, p. 124 in hanc sententiam professus est.

[8]) Photius Hegesiae et Ctesibii relationes singulas non transtulit: *ἄλλοι δὲ ἄλλα περί τε παιδεύσεως Δημοσθένους καὶ τῶν αὐτοῦ διδασκάλων ἱστοροῦσιν* 492 a 30. Erravit A. Martin (Revue critique, 1879, p 349) quod tres notitias a Photio omissas esse statuit. Ceterum, qui fieri potuerit, ut plerique vv. dd. verba *καὶ τούτου μὲν κτλ* vel *ἐπειδὴ δ' ὁ μὲν κτλ* vitae scriptoris ipsius esse sibi persuaderent, non assequor. Boehnekium (Forschungen, I, 86), ut alia taceam, ad sententiam suam de anno natali Demosthenis fulciendam eo argumento usum esse moneo, quod Plutarchus verbis *ἐπειδὴ κτλ* Dionysiacam rationem sequi videretur.

[9]) Quae verba si ita percipiuntur, ut Demosthenem anno 361 vicesimum annum assecutum esse putetur, facile Dionysiacus annus efficitur.

Quae verba, etiamsi supra Demetrii nomen concedamus, post Hermippi aetatem scribi potuisse omnino negandum est, ut de levissima Roesigeri (p. 36) coniectura taceam, sed omnia originem Hermippo superiorem apertissime arguunt: coacervatio illa nominum (iis quae de Hegesia novimus aptissima) inde sine dubio orta est, quod Demosthenes summus atque perfectissimus orator ex eorum qui tum Athenis in philosophia, in populari eloquentia, in doctrina rhetorica, in privati iuris scientia excellebant, institutione prodiisse fingebatur. Hermippus primus, ut videtur, Isocratis disciplinam reiecit, Platonis et Isaei certis quibusdam temporibus assignavit, neque aliam Demetrius Magnes protulisse videtur sententiam, quod quidem e Ps-Plutarchi verbis 281, 5 necessario consequitur, quae si Demetrius ab Hermippi sententia discessisset, quid sibi vellent, obscurum esset. De Plutarcheae narrationis (c. 5) auctore nihil certi iudicari potest; ab Hegesia eo quam maxime differt, quod Demosthenem cum etiam in tutorum manu esset Isaei institutione imbutum esse cum reliquis vitis convenienter exponit. Itaque Roesiger (p. 38), quod c. 5 verba *εἴτε — ὀρφανίαν* cum Suida s. v. *Ἰσαῖος* collata Demetrii esse coniecit, ex eodem Demetrio Plutarchi de Callistrato narrationem repetiit, secum pugnantia statuit. Plutarchum nihil attulisse quod non in fonte suo invenerit, et per se probabile est et e Libanii vita (294, 37 sq.) satis perspicuum est[1]). De Suida (I) hoc unum constat, auctorem ab Hegesia diversum adhibitum esse[2]).

De morte Demosthenis Hermippeam sententiam Plutarchus in c. 30 servavit. Narravit Hermippus Pappo quodam auctore, aliunde non noto, Demosthenem veneno exhausto apud Neptuni aram animam expirasse, quam relationem cum aliis de Demosthenis morte variis sententiis coniunctim in Hermippeis *βίοις* extitisse A. Schaefer[3]) coniecit. Statuit enim v. d., et Zosimum et Anonymum et Suidam (I et III), quos de morte Demosthenis eadem traditione niti supra vidimus (p. 52), ex Hermippo communi fonte hausisse. Quam coniecturam reliquis acceptam minime mihi probavit. Primum enim, etiamsi primam Suidae particulam ad Hermippum maximam partem

[1]) Communem Plutarchi et Libanii auctorem Hermippum esse Blass (III, 1, p. 12, not. 3) sine ulla probabili causa suspicatus est.

[2]) Volkmann, l. c. p. 14, Ruhnkenii opinione probata, Suidae brevissimam de Callistrato notitiam Demetrio Magneti tribuit.

[3]) In Philol. t. IV, p. 430.

redire ei concedamus, eo quod Suidas (I), vel auctor eius, et Zosimus, Anonymus, idem Suidas in c. III, quorum auctores ab illo diversos fuisse in aperto est, uno eodemque modo de Demosthenis morte exponunt, nisi egregie fallor, auctorem quendam fuisse statuere cogimur, a quo nulla alia mortis ratio prolata erat. Accedit, quod Suidae c. III illa de morte narratione excepta nihil fere cum priore commune continetur. Deinde Plutarchi verba: *Πάππος δέ τις, οὗ τὴν ἱστορίαν Ἕρμιππος ἀνείληφε* nescio quid aliud significent nisi Pappi sententiam ab Hermippo pro sua venditatam esse (cf. c. 5). Haec me adducunt argumenta ut a doctissimi viri coniectura discedam; neque ex Hermippo ipso neque ex epitoma Hermippei libri Suidae primum caput petitum esse mihi videtur.

Ea quoque duo fragmenta de quibus iam disputandum est, e Plutarchi vita nota sunt; quorum priore Aesionis iudicium (c. 11), cum praecedentibus verbis arte coniunctum, de vi Demosthenicae orationis cum et antiquioribus et aequalibus oratoribus comparatae traditur. Ad eundem Hermippum A. Schaefer Aesionis commemorationem quae apud Suidam est (I) retulit. Alterum in c. 28 extat: ad Archiam pertinet, quem Hermippus Lacriti, Demetrius[1]) Anaximenis rhetoris discipulum fuisse scripserat. Demetrii (Magnetis) vestigium in PsPlut. vita 287, 152 apertissimum est: *Ἀρχίου ὃς παρέβαλεν Ἀναξιμένει τῷ ῥήτορι.*

Aliud atque maximi ponderis fragmentum Suidae prima particula continet: *ἐπιμελὴς μᾶλλον ἢ εὐφυὴς, ὡς Ἕρμιππος ἱστορεῖ, καὶ πρὸς τὰς ἡδονὰς ἀκόλαστος, ὡς καὶ τοῦτό φησιν ὁ αὐτὸς. ὅθεν καὶ νέος ὢν Βάταλος ἐκλήθη, ὡς καὶ γυναικείᾳ ἐσθῆτι πολλάκις χρησάμενος, Ἀργὰς δὲ μετὰ τὸ ἐς ἄνδρας τελέσαι, ὅπερ ἐστὶν ὄνομα ὄφεως*[2]). cf. Aesch. I, 31; II, 99. Eadem cognominis illius explicatio cum alia ex eodem Aeschine (I, 126) petita interpretatione in PsPlutarcheae vitae altera parte invenitur 289, 203 sq. (Phot. 495 a 31 sq.) Plutarchus (4) et Libanius 294, 29 sq. eandem,

[1]) Demetrium supra Phalereum intellegendum esse Car. Mueller (fr. h. gr. II, 368), vir doctus l. c. p. 125, qui quod schol. ad Aesch. II, 3, 1 attulit, nihil effecit, Gebhard p. 9, 10 cum ob alia tum PsPlut. vit. 287, 152 comparanti mihi minime probaverunt. Plutarchum non ipsum discrepantiam illam ex Hermippi et Demetrii libris exprompsisse certum est.

[2]) cf. Suidas, I, p. 165, 693 (Bernh.).

qua Batalus vocatus sit, causam, neque e Demosthenis vel Aeschinis orationibus ductam, neque ab ullo alio scriptore traditam exhibent, quae quin e scriptoris cuiusdam Demosthenem ab Aeschinis conviciis, ab Idomeneo (fr. 13) et Hermippo libenter arreptis, defendentis ingenio orta sit dubitari nequit. Consentiunt enim ex infirma aegraque valetudine cognomen illud ludibrio ei inditum esse, quae explicatio relationi ei optime convenit, cui cpp. 4—10 etc. impertienda esse ex compositione vitae perspeximus. Namque omnino non assentior Gebhardo (p. 28 sq., 32) qui alteram c. 4 partem inde a verbis *ἦν δ' ὁ Βάταλος κτλ* e „stirpe“ *ἀκολαστείαν* Demosthenis perlucide castigante a Plutarcho ipso hunc in locum transpositam esse pro certo statuit. Libanius, quod Demosthenem *ἀνδρωθέντα* fuisse dicit, fortasse Batali et Argae nomina commutavit, de quorum significationibus communis Plutarchi et Libanii auctor varias cumulaverat sententias cf. schol. Aesch. I, 131; II, 99; hic quoque Blassium [1]) erravisse, quod Hermippum a Plutarcho et Libanio compilatum esse coniecit, quivis facile videt. Prior eiusdem fragmenti pars in Plut. c. 8 iisdem fere verbis expressa iterum nobis occurrit: *ἐκ τούτου δόξαν εἶχεν ὡς οὐκ εὐφυὴς ὤν, ἀλλ' ἐκ πόνου συγκειμένῃ δεινότητι καὶ δυνάμει χρώμενος*, quae cum multis aliis ad oratorias exercitationes spectantibus, quamquam singula definiri iam non possunt, ad Hermippum redire mihi quoque verisimillimum est.

Extremo hoc loco notandum est, de Hyperidis morte Plutarchum (c. 28) auctorem ab Hermippo plane diversum sequi (PsPlut. Hyp. vit. 313, 48—50), de quo Gebhard p. 9 parum caute statuisse mihi videtur.

Haec quae ex Hermippi sine dubio accuratissima vita nobis servata sunt perpauca fragmenta, quamquam imaginem vitae illius animo refingentibus nobis non sufficiunt, tamen quatenus Plutarchus ab eo pendere videatur, iudicandi locum satis idoneum praebent, de qua re infra in uno conspectu paucis disseremus, postquam quae e Demetrii Magnetis, Ciceronis aequalis, clarissimo *περὶ ὁμονύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων* inscripto opere aetatem tulerunt de Demosthene fragmenta inspexerimus.

De ceteris iam una cum Hermippeis diximus, nunc tria quae

[1]) III, 1, p. 11, not. 3.

reliqua sunt commemorare satis habeo. Ac primam quidem de Chabriae vidua sententiam Plutarchum (c. 15) non ex ipsius Demetrii libro hausisse consentaneum est; a nullo biographorum adoptata est (PsPlut. 288, An. 306, Suid. 311). Non melior fortuna alii Demetrii relationi contigit, de epigrammate illo in Demosthenis statua inciso (PsPlut. 287, 159 cll. Zos. 302, An. 308, Suid. 310). Plutarchus (30), cuius auctor (cll. PsPlut. l. l.) duas de iis, quae Demosthenes extrema hora descripserit, Pappi et Demetrii Magnetis sententias obtulit, Demetrii futilem stolidamque abiecit. Sine dubio ex eodem fonte Plutarchus, a quo Demetrium Magnetem ipsum adhibitum esse vix credi potest, dictum illud Demosthenis ex exilio redeuntis transtulit (cf. 27) [1]).

Fragmentis ex eorum, qui uberrimam materiam biographis praebuerunt, libris collectis et cum vitarum relationibus comparatis nunc reliquum est ut, quid de originibus singularum vitarum statuendum mihi videatur, pluribus exponam, atque primum de Plutarchea vita disputabo, quae ut aliter mihi atque Gebhardo composita videatur verba ipsa necessario faciunt. Plutarchus ut erat literatissimus quin orationes Demosthenis Aeschinisque studiose perlegerit, nemo dubitabit; sed minime eo cogimur, omnes vel plurimos locos cum oratorum illorum verbis aut omnino aut aliquam certe partem congruentes a Plutarcho transscriptos esse existimare. Sine dubio Plutarchus ex suo orationum studio plura ipse vitae inseruit, sed et e verbis eius ipsis et e reliquis vitis non minus dilucide apparet, certos quosdam auctores adhibitos esse, quos cum ex aliis fontibus hausisse tum orationes duorum animadversorum adiisse consentaneum est, a quibus tamen Plutarchum totum ita pendere, ut non propria iudicia eorum relationibus opponeret, narratiunculas varii generis intexeret, minime opinandum est. Atque duae illae relationes quibus potissimum rebus dissentiant e compositione vitae demonstravisse mihi videor, quarum prior Demostheni utique favens Plutarcho sumministravit, quae de pueritia, de studiis oratoriis, de vi dicendi, de rationibus eius in rebus publice gerendis usurpatis, de praeclarissimis eius Chaeronensi pugna superioribus factis, de supremis temporibus exposuit. Plutarchum, quae e Theo-

[1]) E libro *περὶ ὁμονοίας* inscripto cf. Droysen, Hist. succ. Al. M., p. 679; Haug, p. 76; Gebh., p. 9.

pompo (4, 13), Demetrio Phalereo (9), Eratosthene (9, 30), comicis poetis (9), Aristone Ceo (10, 30), Phylarcho (27), Satyro (29), Demochare (30) affert, iam in fonte suo invenisse mihi persuasum est; de reliquis eiusmodi locis tam confidenter iudicare non audeo. Hermippo, quamquam non exigua huius relationis pars debetur, tamen quae singula praeter locos supra notatos ad eum referenda sint, difficile dictu est; certe in c. 5 nihil nisi eae quae nomine eius addito insunt notitiae ad Hermippum redire videtur; per cpp. 7 et 8 vestigia eius aperte emicant. In extrema vitae parte (28—31) Gebhard p. 34 Reussio auctore (Hier. v. Kardia 1876) Philochorea (c. 28 et 31 de Demade) per Hermippum ad Plutarchum venisse statuit. Res utut est, auctor Plutarchi certe Demetrii Magnetis aetate inferior fuisse existimandus est (c. 28; 30)[1]). Ad eandem sententiam c. 15 ducimur, quod una cum reliquis prioris relationis partibus ad unum eundemque auctorem referendum esse mihi constat, qui orationibus non solum ut vitam moresque perspiceret, sed etiam ad grammaticorum rhetorumque rationes curam impendit, id quod c. 15 verbis satis manifestum est, quorum maxima pars *πίνακος* formam redolet. Auctorem huius capitis (cf. c. 24) Demetrii Magnetis aetate inferiorem fuisse liquet, cum Plutarchum singula quaeque e variis fontibus congessisse Gebhard (p. 35) quoque recte negaverit. Quod vero *βίον* extitisse statuo, qui non solum vitam enarravit, sed etiam de orationibus, earum temporibus aliisque eiusmodi disputavit, moneo, Dionysium Hal. celeberrimum illum Demosthenicarum orationum indicem (in ep. ad Amm. 4) biographorum studiis se debere ipsum confiteri: c. 3: *ἀνάγκη δ' ἴσως πρῶτον, ὅσα παρέλαβον ἐκ τῶν κοινῶν ἱστοριῶν, ἃς κατέλιπον ἡμῖν οἱ τοὺς βίους τῶν ἀνδρῶν* (sc. Demosthenis et Aristotelis) *συνταξάμενοι, προειπεῖν.* c. 4: *οἱ τοὺς ῥητορικοὺς πίνακας συντάξαντες* (cf. de vi dic. Dem. c. 53). Quae verba consideranti mihi quae Gebhard (p, 36) de Caecilio Plutarchi auctore statuit, nisi certioribus argumentis stabilientur, non explorata videntur. Eo igitur, ut denuo moneam, sententia mea exit, ut priori Plutarcheae relationi scriptorem Demetrii Magnetis aetate inferiorem subesse censeam; de cuius nomine quod nihil erui potest dolendum est.

De altera relatione, quam quo modo Plutarchus priori illi

[1]) De Roesigeri errore verba facere iam non opus est, cf. Gebh., p. 4, 5, 12.

coniunxerit, intelleximus, pauca verba facienda sunt; satis est notavisse, eam historicorum[1]), imprimis Theopompi, libris minime neglectis in virtutibus Demosthenis detractandis miro quodam modo sibi constare; de auctore nihil apparet, nisi Hermippea vestigia pluribus locis dilucide patere.

De PsPlutarchea Photianaque vitis quae supra ex mea sententia protuli nunc omitto; nihil aliud quaeritur quam quid de archetypi scriptore, de tempore auctoribusque eius censendum videatur. Atque Caecilio[2]) aetate inferiorem eum fuisse e reliquis vitis facile intellegitur, quamquam quae e libris eius singula desumpta sint, dubitari potest. Priores singulas vitarum partes ad Caecilii rhetorica opera redire Burckhardtio libenter concedo; in Photiana Demosthenis vita sane plura Caeciliana vestigia inveniuntur (cf. Burckh. fr. 16; 18—20 et quae alia nonnulla Sauppe l. c. disseruit), sed recentiorum rhetorum placitis obruta atque amplificata. Nihil autem nisi iudicia de dicendi oratorum generibus et de numeris genuinarum spuriarumque orationum (si quidem Burckh. de omnibus iis p. 51 recte statuit) Caecilius suppeditasse videtur; Burckhardtio certe ut Caecilium in vitis ipsis quoque adhibitum esse demonstraret, fragm. 1 et 12 b argumentis uti non licuit. Hoc unum constat, in vitis oratorum enarrandis communem PsPlutarchi Photiique archetypum ad superiorum biographorum libros redire. Demosthenis vita eadem vel simillima nititur materia quae in Plutarchea vita ex aliis fontibus aucta extat. Quae vero per singulos rivos in ultimum archetypi amnem pervenerint, vix dici potest, quamquam Demetrii Magnetis indicia (p. 281, 287 PsPlut.) aperte dinoscuntur, quem tamen ipsum illum scriptorem opinari Roesigerum notitia p. 288, 184 a Demetrio prorsus aliena vetare debuit. De reliquis vitis nihil certi iudicari posse, nemo non videt; de Libanii vitae priore parte nihil constat, nisi neque Hermippi neque Demetrii vestigiis eam insistere; in Zosimi, Anonymi Suidae vitis quae Hermippea inveniuntur, nullam de auctoribus aliquid certi iudicandi ansam nobis ministrant; Suidae primum caput, cuius maxima pars Hermippeam duxit originem, ex Hermippo ipso excerptum esse mihi non verisimile est.

[1]) De Dur. Samio „Plut. auctore" Gebh. p. 13—15 doctissime rem confecit.

[2]) A Caecilio canonem decem oratorum constitutum esse Meiero auctore (opusc. I, 120 sq.) Burckhardto p. 10 et Gebhardo p. 35 explorata res est. Studemund (in Herm. vol. II, 449) decadem Callimachi aetati vindicavit.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Lys. I, 32 lego *ἄνδρα* pro *ἄνθρωπον*. Reliqua verba non mutanda sunt.
II. Lys. IX, 6 cum Reiskio emendandum est: *αγορεύοντος*.
III. Lys. XXIII, 2 verba *παραινέσαντος — σκήπτοιτο* interpolata videntur; § 3 *καὶ* ante *ἐλθὼν* transponendum est ut § 10 *καὶ* ante *ἀμφισβητοῦσα*.
IV. In poetis antiquis critice recensendis cavendum est, ne scholiis nimium auctoritatis tribuatur.
V. Cimon cum ducentis navibus Aegytiis, qui paucis ante annis a Persis defecerant, auxilio missis a. 460 praeesset, Areopagi iura imminuta sunt.
VI. Coelium Antipatrum primordia Hannibalici belli, Saguntii obsessionem Hannibalisque in Italiam adventum, Saguntinorum Romanorumque legationes consulto contraxisse. Livius, Dio, Appianus docent.

VITA.

Carolus Guilelmus **Sturm** natus sum Berolini die XXVIII Januarii a. 1859 patre Friderico matre Augusta e gente Lamprecht, quibus adhuc superstitibus vehementissime gaudeo. Fide institutus sum evangelica.

Inde ab autumno a. 1868 gymnasium Fridericianum frequentitavi, quod tum Krechii nunc Kempfii auspiciis floret. Maturitatis testimonium die 7. Martii a. 1877 adeptus civibus Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis rite adscriptus sum. Per octies sex menses scholis interfui clarissimorum virorum: Curtius, I. G. Droysen, H. Droysen, Harms, Huebner, Kiepert. A. Kirchhoff, Mommsen, Nitzsch, Robert, Seek, de Treitschke, Vahlen, Wattenbach, Zeller. Quibus viris cum omnibus gratias ago tum maximas Huebnero et Kirchhoffio, qui ut philologicis, H. Droyseno Mommseno Nitzschio qui ut historicis exercitationibus interessem benigne concesserunt.

Typis expressit L. Schumacher, Berolini.